

LIBER
EX LEGATO
SERENISSIMI PRINCIPIS
LVDOVICI,
DVCIS WVRTENBERGIAE,
FRIDERICIANAE BIBLIOTHECAE
ILLATVS.

Lbr. 7
1


Wittlinger Explicatio Psalmorum
pg. 130.


Brentii Explicatio Psalmorum ss. 37.

Confessio Doctrinae Saxonicae
Ecclesiarum Conc: tridentinae
oblata.

Confessio Dni. Christophori D'acis
Wurtemberg Conc. trid. opposita.
1552.

Wurtemberg. D'acis & Argentinensium
Reipubl. acta in Concilio trid.





EXPLICATIO

PSALMORVM DAVIDIS,

X C I I I I. Deus ultionum, &c. &

C X X X. De profundis, &c. ma-

gna pietate, & huic seculo ac-

commodatissima tra-

ctatione con-

scripta:

IOANNE VVITLINGIO

Autore.

Oculi Domini super iustos, & aures
eius in preces eorum.

M. Christophorus Crato me possidet

BASILEAE.

*Mathias. Urbanus
Gyulminger.*



3

CHRISTIANO LECTORI
Gamaliel Gratius S. D.



Ratiam & pacē à Deo per Christum, Amen. Quem admodum rosa leuiter etiā attracta, suauissimū circumstanti præbet odorem, singulare quasi contrectationis suæ præmium: ita fieri non potest, quin quasi præmium hospitalitatis post se relinquāt, odorem suauitatis & fructū aliquem diuini spiritus amœnissimum exules Iesu Christi à nobis hospitio suscepti. quādoquidē iusti mercedem etiam promittat Dominus noster Iesus Christus his qui aliquē nomine iusti suscipiant: neque mercedem suam perdat, qui saltem poculum frigide discipulo porrigat, &c. Id quod nuper mihi usuuenisse fateor. nam quum aliquandiu mecum retinuissem uirum Dei Ioan. Vuitlingium, præceptorem meum multis nominibus mihi charissimum, abituriens talem post se reliquit odorem, ut qui tantum nō deficientem totius ecclesiæ spiritum refocillare possit. Quare motus, hunc ego fructū mihi soli reseruare timui, ne quod omniū esset, priuatim mihi cum multorum dispendio uendicare uiderer. Thesauri, inquiunt,

a a ab

absconditi, nullus est usus : & gemma si quæ
 est preciosior, non uult abscondi : sed auro
 inclusa, palàm gestari gaudet. Nec, ut Chri-
 stus ait, lumen accendunt & ponunt illud
 subter modio, sed supra candelabrum, ut
 luceat omnibus in domo. Itaq; nolim ego
 mea negligentia lumen hoc uel abscondi,
 uel extingui: ne domus uniuersa, hoc est to-
 ta Christi ecclesia huius luce & commodi-
 tate non frueretur fœlicissimè. Quapro-
 pter opusculū hoc, licet perbreue, & in spe-
 ciem uile, sed precio & spiritu grauissimū,
 euulgare cōsiliū fuit : ratus me pijs,
 & ecclesiæ Christi bene uolen-
 tibus, rem gratam factu-
 rum esse. Bene
 uale.

PSALMVVS

5

PSALMVS NONAGESI-
mus quartus, Deus ultionum.

Occasio & argumentum hu-
ius Psalmi.



Ecclēsia Dei, quā Christus ipse uocat pusillum gregem, suos semper habuit iam inde ab initio conditi orbis hostes, nō solum externos, uerumetiā, quod est longē omnium periculosissimum, domesticos. Cum enim filius Dei suscepisset pugnādum cum satana, & conterendam potentiam eius, ut humanum genus peccato & morte liberaret, & quotquot fiducia eius Deum patrem in spiritu sancto inuocaturi essent, seruaret: satan non potuit teneri, quin quoquo modo posset, opprimeret eos, qui filio Dei, per fidem coniungerentur. Itaq; etsi beneficium filij Dei oblatū est uniuerso humano generi: tamen cum satan factus sit, propter hominis peccatum, princeps, & ut Paulus ait, deus huius seculi, detinet in potestate sua maximam hominum partem, quos etiam excitare solet, ut reliquos, qui filium Dei agnoscunt & profitentur, immani odio prosequantur, & perpetuò extinctos cupiant. Nam, ut nihil dicam de crudelitate Caini erga Abelem, Ismaelis erga

a 3 Isaacum,

Isaacum, Esau erga Iacobum: quid potest imma-
 nius cogitari, quàm quod Pharaon rex Aegypti,
 in Israelitas, in quorū gente uera erat illis tēpo-
 ribus ecclesia Dei, designauit? Quantum malū
 pertulerunt Israelitae, cum iam in sua terra habi-
 tarent, à finitimis gentibus? Sed transeamus ista,
 quae satis copiosè in libro Iudicū descripta sunt.
 Veniamus autem ad tempora prophetae Samue-
 lis, & regum Saulis ac Dauidis. Hostes ecclesiae
 Dei tum erant, non solum exteri illi Philistini,
 sed etiam domestici sacrificuli, ac satellites eorū.
 Et qui uidebantur ecclesiae capita, cum uera ec-
 clesia pugnabant. Quomodo enim tanto tempo-
 re constitisset inter Israelitas cultus idolorum, si
 principes & sacerdotes hunc non essent tutati?
 Samuel multis annis uix impetrare potuit, ut
 uel aliqua saltē impia sacra abolerentur. Quod
 manifestum argumentum est, impios principes,
 impia sacra in populo Dei defendisse. Inter ista
 quae potuit esse pax, quae tranquillitas piorum,
 hoc est, uerae ecclesiae Dei? Vide mihi Saulem ip-
 sum. Hic, ut erat monarcha in Israel, ita uideba-
 tur summus ecclesiae Dei tutor. Sed non erat, qui
 & hypocrisi & tyrannide sua maiorem interne-
 cionem ecclesiae Dei minaretur. Scriptura diui-
 na perspicue testatur, arcam Dei, quae tum sum-
 mum religionis sacramentum fuit, neglectam, ac
 ne

ne requisitam quidem fuisse. Quæ res haud obscure significat, ueram Dei ecclesiam sub Saule, & ab ipso Saule maxima accepisse incommoda. Quid, quòd Saul tot uno tempore innocentes sacerdotes, una cum magna ciuium multitudine in Nobe immanissimè trucidauerit? Non hoc tantum meditabatur satan in Saule, ut una tantum ciuitas deleretur, sed ut ecclesia Dei opprimeretur. In persequendo autem Dauide, quale, obsecro, putas fuisse Saulis consilium? In summo quidem cordis fastigio cogitabat successorem regni sui tollere: in recessu autem & latebris cordis cogitabat, autore satana, Christum, uerum ecclesie seruatorem, è Dauide uenturum, tollere, adeoq; uniuersam ecclesiam Dei perdere.

Quæ pericula ecclesie, cum Dauid ob oculos mentis suæ posita haberet, ac re ipsa quoq; perferret, accenditur & inflammatur spiritu sancto, ut erumpat in hunc Psalmum, qui est, iuxta Hebræos, nonagesimus quartus, in quo precatur, ut Deus tueatur ecclesiam suam aduersus hostes eius, & conseruet eam, oppressis hostibus, in omnibus periculis.

Commemoratur autem in hoc Psalmo immanitas hostium ecclesie: commemoratur etiam securitas eorum, in tam foelici rerum suarum successu. Sed additur quoq; seueritas, qua Deus affli-

a 4 Eturus

occasio a
thoris.

Arq̄m
psalmi.

Eturus est eos, præter omnem ipsorum expecta-
 tionem. Additur & clementia, qua Deus comple-
 titur inuocantes nomen suum ex fide, ut eccle-
 sia consolationem habeat in omnib. aduersis: &
 confidat ueram sibi et perpetuam salutem apud
 Deum patrem, per filium eius, Iesum Christum
 repositam esse. Non enim sentiendum est, quòd
 David præcinuerit hunc Psalmum suæ tantum
 ætati: sed quòd etiam præcinuerit eum omni po-
 steritati, & ecclesie omnium temporum. Quæ-
 cūq; inquit Paulus, præscripta sunt, in nostram
 doctrinam præscripta sunt, ut per patientiã &
 consolationem scripturarum spem habeamus.
 Neque enim ecclesia tunc tantum hostes habuit,
 nunc autem hostibus caret. sed ut uirulentia sata-
 næ aduersus filiũ Dei, & ecclesiam eius, nunquã
 intermoritur: ita semper excitat organa sua, qui-
 bus ecclesiam, martyrio, ut nunc loqui solent,
 afficiat.

Ac profectò ea nunc sunt tempora, ut satan
 periculum extremarum suarum uirium in op-
 primenda ecclesia facturum uideatur. Post-
 quam enim pia doctrina his temporibus, diuina
 clementia restituta est ecclesie, hostes primũ
 quidem conati sunt, admirabili arte, & astutissi-
 mis consilijs, cursum Euangelij impedire. De-
 inde, cum togata consilia non successissent, sum-
 pserunt

Cum

om: 15.

pferunt arma, prætextu quidem restituendæ pu-
 blicæ tranquillitatis, sed certissimo instituto de-
 lendæ piæ doctrinæ. id quod res ipsa maximo rei
 pub. & ecclesiæ occasu declarat. Cum enim fœli-
 cem habuerint successum belli, & reportauerint
 hæctenus externam uictoriam, nihil est, quod nõ
 præfractè & impudenter (uictoria enim natura
 sua insolens est) aduersus piam doctrinam mo-
 liantur. Condunt nouas reformationes, abolent
 sacra iuxta uerbum Domini constituta, restitu-
 unt ueterem idolatriam, eijciunt pios doctores
 in exilia, conijciunt nonnullos in uincula, cogunt
 uiolenter homines impias Missas accedere & ue-
 nerari, grassantur hostiliter in eos qui impia ip-
 sorum decreta non amplectuntur, ac muliercu-
 las etiam & pueros crudeliter trucidant. Quid
 plura? miserrima est his tristissimis temporibus
 facies ecclesiæ, ac reipubl. adeoq; planè id nunc
 quoq; impletur, quod hic noster Psalmus com-
 memorat, Populum tuum, inquiens, humiliave-
 runt, & hæreditatem tuam uexauerunt.

Viduam & aduenam interfecerunt, et pupil-
 los occiderunt. Et alius Psalmus:

Diripuerunt eum omnes transeuntes uiam, Psal. 88.
 factus est opprobrium uicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum, leti-
 ficasti omnes inimicos eius.

a s Avertia

Victoria

Interim

Auertisti adiutorium gladij eius, & nō es auxiliatus ei in bello.

Et alius:

Psal. 43.

Nunc repulisti & confudisti nos, et non es egressus Deus in uirtutibus nostris.

Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Ac mox:

Posuisti nos opprobriū uicinis nostris, subnationē & derisū his qui in circuitu nostro sunt.

An non hi Psalmi magis uidentur texere historiā huius nostri tēporis, quā cōmemorare quæ quondam in ecclesia Israelitarū gesta sunt? Quare, cum hic 94 Psalmus, quem interpretandum suscepimus, non minus ad nostra, quā ad Dauidis tempora pertineat, excipiamus eū obuijs manib. et quia uidemus ecclesiæ nostræ ætatis planē eadem aduersa cōtingere, quæ quondam ecclesiæ Israelitarū contigerunt: leuemus capita nostra, & concipiamus certissimam fiduciam, in Domino Deo nostro, per Iesum Christum filium eius, seruatorem nostrū, quòd etiam secutura sit gloriosa redemptio, ut clementiam Domini in ecclesia eius perpetuò celebremus.

Porrò hic Psalmus constat, iuxta Hebræorū distinctionem, uiginti tribus uersiculis. Ac duo primi uersiculi sunt propositio Psalmi.

1 Deus

1 Deus ultionum Domine, Deus ultionum illustreris.

2 Exalteris, qui iudicas terrā: redde retributionem superbis.

His duobus uersiculis proponitur status huius Psalmi. Precatur enim Deum, ut ad uindicandam & illustrandam gloriam nominis sui, non sinat impios tam impunè & tanto tempore in ecclesiam grassari: sed animaduertat in eos seueriter, ut ecclesia liberata, potentiam & clementiam eius semper prædicet.

Tribuit autem Deo duo insignia epitheta. Vocat eum, Deum ultionum, seu ultorem, et Deum iudicem terræ. Tribuuntur quidem Deo aliàs uaria epitheta, præsertim ducta à clementia eius. Vocatur enim miserator, misericors, patiens, longanimis, & multa id genus alia. In hoc autem loco tribuitur ei epitheton ductū à seueritate eius: Vocatur Deus ultor, seu Deus uindex, quod & ad significandam affectus uehementiam, & ueritatis certitudinem, duplicatur. Deus, inquit, ultor Domine, Deus ultor illustreris. Maluit autē Psalmus in præsentia hoc epitheto, quā alio uti, propterea quòd sit aptissimum ad ea quæ hic est precaturus: uidelicet, ut Deus ulciscatur & uindictam gloriæ suam, & puniat hostes Euangelij sui, ne tanto tempore, maxima diuini nominis

contra

a seueritate

*Cur hoc Ep
to utatur.*

contumelia, impunè in ecclesiam Dei grassentur.

Sed hoc epitheton congruit Deo, duabus de causis. Vna est, quòd Deus seueriter exigat, ne quisquam hominum suo sibi arbitrio ultionem usurpet, sed eã Domino Deo nostro relinquat. Quare grauissimè peccant, & designant crimè læsæ diuinæ maiestatis, qui iniuriam sibi illatam, priuata sua libidine ac temeritate ulciscuntur.

Altera est, quòd sicut Deus reseruat sibi ultionem contumeliæ & iniuriæ uel sibi uel suis illatæ: ita nihil certius est, quàm quòd eam suo tẽpore seuerissimè inferat, & tarditatem grauitate compenset. Quare epitheton ultoris conuenit Deo aptissimè. Quo & admoneri debemus timoris Dei & tolerantia, ut non solum non ulciscamur ipsi iniuriam nobis illatam, sed etiam patienter expectemus ultionem Dei, & perseueremus interea tẽporis in officio diuinæ uocationis.

Alterum epitheton est, iudex terræ. Deus enim nõ solum ulciscitur & punit manifestos hostes suæ ecclesiæ: uerum etiam iudicat uniuersum orbem terræ, & punit omnes impios, in omnibus gentibus. Deus statuit, inquit Paulus, diẽ, in quo iudicaturus est orbem terrarũ cum iustitia, per eum uirum, per quem decreuerat, fide præstita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis. Et iterum: Colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet

o: 12.

mat: 32.

uin: 19.

7: 17.

o: 2.

fiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuique iuxta facta sua. Est & hoc epitheton aptum ei argumento, quod in hoc Psalmo instituitur. Precatur enim Deum, ut uel tandem reddat impijs, quod merentur. Hoc enim est iusti iudicis. Quod ergo dicit, habet hanc sententiam: Tu Domine Deus noster, uocaris Deus ultor seu uindex: quaeso igitur te, ut hoc epitheton tuum illustres, ac publice testificeris, in opprimendis hostibus ecclesiae tuae, te uere esse eum qui diceris ultorem & uindicem. Ad haec, tu Domine Deus noster, uocaris iudex terrae: precor igitur, ut exalteris, ut hoc nomen tuum coram omnibus hominibus patefiat & magni fiat, ut iusto iudicio tuo retribuas impijs superbe & contumeliose ecclesiae tuae insultantibus, omnem iniuriam, quam tibi & tuis immani semper crudelitate inferre pergunt.

Sed quid illud est, quod toties mandatur nobis, ut diligamus non tantum amicos, uerum etiam inimicos nostros, ac bene precemur deuotibus nos, & tamen hic Psalmus ex professo petit inimicorum suorum interitum, ac ultionem? Et quidem usitatissimum est, praesertim in Psalmis, quod petatur, ut pereant aduersarii nostri. Confundantur, inquit, & reuereantur simul, qui quaerunt animam meam, ut auferant eam. Et, Fiant filij

*Math. 5
Luc. 6.*

ps: 39.

ps. 108.

filij eius orphani, & uxor eius uidua. Nutantes
 transferantur filij eius, & mendicent, eijciantur
 de habitationibus suis. An non hoc est petere uin-
 dictam? Sed aliud est carne, et priuato arbitrio,
 aliud spiritu, & diuino zelo uindictam petere.
 Nam caro querit natura sua non quæ Dei, sed
 quæ sua sunt. & affectus carnis, ut Paulus ait, ini-
 micitia est aduersus Deum. Quare, qui sunt ad-
 huc carnales, & petunt uindictam ex carne, non
 querunt gloriam Dei, sed potius suam ipsorum
 gloriam, & commodum, contra Deum: ideoq;
 grauius peccant. etiã si aliquoties uindicta, quæ
 petitur, per se non sit iniusta. Spiritus aut quæ-
 rit, quæ Dei sunt: & hoc unum agit, ut gloria
 nominis Dei promoueat, etiam si id uideatur nõ-
 nunquam magno nostro incõmodo fieri. Qua-
 re, qui ex spiritu petunt uindictam, tantum ab-
 est, ut aduersus Deum peccent, ut potius uolun-
 tati Dei, impietatem ex animo odientis, & puni-
 tam cupientis, obedientissimè seruiant. Sume tibi
 huius rei exemplũ ab ira patrum familias in pec-
 cata puerorum suorum. Si quis enim pater fami-
 lias, adhuc carnalis, uiderit puerũ suum tale de-
 signare peccatum, quod cum rei familiaris di-
 spendio coniunctum sit, tanta ira inflammari so-
 let, ut præ animi impotentia non queat consiste-
 re. Etsi autem peccatum pueri dignum est ira, is-
 tamen

tamen carnalis paterfamilias, non irascitur propter peccati iniquitatē coram Deo, sed propter rei familiaris incommodum. Nam si puer sic peccauerit, ut non uideatur aliquod domesticum incommodum ex eo accidere: uidelicet si abutitur nomine Dei ad execrationes, aut mendacijs & turpitudini assuescat: uix dignū reputat paterfamilias, quod uerbis paulo asperioribus reprehendat. Hoc perspicuum est argumentum profani animi: & cuius prior illa ira, alioqui per se non iniusta, sit prorsum carnalis, & coram Deo abominabilis. Alius quispiā pius paterfamilias, inuehitur quidem irato animo in œconomicum pueri peccatum: sed cōmouetur longē omnium uehementissimē aduersus ea pueri peccata, quæ sunt in Dominum Deum nostrum contumeliosa. Hæc est uerē spiritualis ira, et Deo grata, quæ *Exod: 32.* *Num: 25* fuit ira Mosi in idolatras, ira Phinees in scortatorem Israelitam, & ira Elie in sacrificulos Baal. Sic etiam sentiendum est de cupiditate uindictæ. Hæc enim cupiditas tunc accepta est Deo, cum proficiscitur è spiritu, qui uerē gloriam nominis Dei querit. Tunc autem abominabilis est Deo, & carnalis, cum proficiscitur è carne: quæ non nisi sua commoda spectat, etiamsi gloria nominis Dei obscuretur aut opprimatur. Accedit huc, quòd alius est caritatis, alius fidei affectus.

ctus.

Aug. Caritas, ut Paulus ait, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam in eternum uescitur carnibus, si esca offendit fratrem. Caritas optat anathema à Christo esse pro fratribus. Quare pii, iuxta caritatis ingenium, nullum hominem, quamuis capitalē hostem, & impium, execrantur: sed precantur cuius uerā respicientiā, & perpetuā salutem. Fides autē comparat sese ad seueritatē diuini iudicij, quæ uerbo Dei reuelatur. Quare, quos uidet uerbo Dei maledici & damnari, eos etiam ipsa maledicit & damnat. ut, etsi pii cupiant, iuxta caritatis ingenium, omnes homines saluos: tamen iuxta fidei ingenium, etiam parentes & liberos condemnant, si hanc, ut ita dicam, crudelitatem, obedientiam, quæ uerbo Dei debetur, exegerit.

Ac breuiter, necessariū est, ut diligamus Deū ex corde, & obediamus ei ex animo. Cum igitur Deus præceperit nobis generali mādato, ut proximum, siue amicū, siue inimicū, siue pium, siue impiū diligamus: obsequendū est, sine omni tergiversatione, diuino mandato. Sed si personali mandato, & speciali spiritus uocatione, iusserit nos impiū execrari, etiam sic obediendum est, ut officium nostrum, in omnibus, Domino

Deo nostro probemus.

Hactenus propositio Psalmi.

SEQUI

SEQVITVR NVNC NARRATIO
 seu expositio impietatis, crudelitatis, & securi-
 tatis hostium ecclesie, contra quos pre-
 catio huius Psalmi insti-
 tuta est.

*Propheta
accusat*

3 Usquequo impij Domine, us-
 quequo impij exultabunt?

Doctrina

4 Effabuntur, loquentur dure,
 garrient omnes operarij iniquita-
 tis?

5 Populum tuum Domine con-
 terunt, & hereditatem tuam affli-
 gunt.

Tyrannide

6 Viduam & aduenam interfici-
 unt, & pupillos occidunt.

7 Et dicunt, Non uidet Dominus,
 nec intelligit Deus Iacob.

securitate

Tria sunt, quæ Psalmus exponit de hostibus
 & persecutoribus ecclesie. Vnum est, diuturni-
 tas foelicitatis eorum in impietate. Usquequo, in-
 quit, impij, usquequo impij exultabunt? Hæc lo-
 cutio figurata est duplici schemate, uidelicet in-
 terrogatione, & repetitione. Nam simplici lo-
 quendi figura diceretur: Impij sunt foelices mul-
 to tempore, & gloriantur arroganter de sua fo-
 licitate.

b

licitate.

licitate. Maluit autem spiritus sanctus figuratè
quàm simpliciter loqui, ut hoc dicendi modo ue
hementiam affectus magis exprimeret, & indi
gnationem suam aduersus impios significantius
exponeret. Nihil enim indignius est, quàm
quòd impijs, & peccatoribus, & operarijs ini
quitatis accidere uidemus. Inscipiunt aduersus ec
clesiam Dei cruenta consilia, & in his sunt fœli
cissimi. Consequuntur prosperrimum instituti
sui euentum, & reportant uictoriam gloriosissi
mam: ideoq; mirum in modum exultant, & glo
riantur de sua fœlicitate. Iactant eam in omnib.
plateis & tōstrinis. Projiciunt ampullas & ses
quipedalia uerba. Et quia fœlicitas huius terræ
natura sua insolens est, idcirco non tantum gau
dent & exultant in sinu suo: sed etiam insultant
pijs contumeliosissimè, loquuntur aduersus eos
dura, & minantur eis graua. Nec est ullus uel
finis uel modus iactantiæ & insultationis eorū.
Et hæc agunt, non uno tantum & altero die, sed
longo tempore, & multis annis. De hac autem
impiorum fœlicitate, multa & magna est quere
la piorum, etiam in alijs locis scripturæ. Zelauī,
inquit alius Psalmus, super iniquos, pacem pec
catorū uidens. Quia non est respectus mortis eo
rum, et firmamentū in plaga eorū. In labore ho
minū non sunt, & cum hominib. non flagellan
tur.

tur. Et Abacuc: Quare impius conculcat iu-
 stitiam se? & Hieremias: Quare uia impiorum *Hier: 12*
 prosperatur, bene est omnibus, qui præuarican-
 tur? Extant etiam uaria exempla huius fœlici-
 tatis. Pharaon usus est multis annis prosperrima *Exod: 4 et*
 fortuna in opprimendis Israelitis. Philistini gras- *1 Samuel*
 santur longo tempore fœlicissimè in populum *4. 5. 6. 7. 8*
 Dei. Saul hypocrita et tyrannus regnat in Israel
 40. annis. Quod tempus uisum quidem est in ex-
 terna politeia fœlicissimum, sed ecclesia Dei inte-
 rea miserrimè affligitur. Negligitur arca Dei.
 Obtinent cultus & sacrificia, à uerbo Domini
 aliena. Dauid & multi alij sancti uiri exulant.
 Innocentes sacerdotes interficiuntur. Itaq; im-
 pij, oppressis pijs, fœlicissimè dominabatur. Sed
 quid necesse est uetera exempla repetere, cum
 in promptu sint exēpla nostri temporis? Quid
 fœlicius consilij pontificum aduersus piam do-
 ctrinam Euangelij? Quàm prospere superiori-
 bus annis bellatum est aduersus principes, ueræ
 ecclesiæ nutricos? & aduersus ciuitates, Euan-
 gelij Christi hospitia? Quàm fœliciter adhuc in-
 stituta aduersariorum piæ doctrinæ promouēt?
 Libet igitur & nobis exclamare: Usquequo pec-
 catores Domine? usquequo peccatores gloriabun-
 tur? Sed quo consilio Deus ista toleret, & quis
 tandem sit impiorum euentus, Psalmus postea

b 2 expo

exponet. Nunc pergemus in explicatione eorū
 uersiculorum, quos proposuimus. Alterum 2
 enim quod in his narratur, est crudelitas & im-
 manitas impiorum. Populum, inquit, tuum Do-
 mine percutiunt, seu conterunt. Hæreditatem,
 seu ecclesiam tuam affligunt: et quod humana iu-
 ra superat, uiduas, peregrinos, & pupillos cru-
 deliter trucidant. Nullam habent rationem uel
 sexus, uel ætatis. Vidue, & pupilli, inuiolati sunt
 & sacrosancti non in lege tantū Mosis, sed etiam
 inter exterarum gentes, quæ aliquo saltem humani-
 tatis affectu præditi sunt. Hostes autem ecclesiæ
 tam immanes sunt, ut erga mulierculas uiduas,
 quarum maritos antea trucidauerunt, & erga
 infantes, quorum patres interfecerunt, omnem
 humanum affectum exuant. Recitatur & aliàs
 in scriptura hæc crudelitas. Posuerunt, inquit
 alius Psalmus, morticina seruorum tuorum escas
 uolatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum be-
 stijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum tan-
 quam aquam in circuitu Hierusalem, & non e-
 rat, qui sepeliret. Et Christus, Tradet, inquit, fra-
 ter fratrem in mortem, & pater filium, & insur-
 gent filij aduersus parentes, & morte afficient
 eos. Et iterum: Veniet tempus, ut quisquis inter-
 ficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Non
 recensebo hic exempla Pharaonis, Saulis, Hero-
 dis,

grammis
saurandsh

78

3

2
dis, qui immanitate sua, qua in ecclesiã Dei gras-
sati sunt, ne infantib. quidem pepercerunt. Con-
sidera mihi exempla nostræ ætatis. Quantam
seuitiam exercuerunt, superioribus diebus, im-
p̃ij N. in ciues, mulieres & infantes urbis N.
idq; dum hi in media pacificationis tractatione
nihil hostile metuerent. Quid ergo est, quòd ho-
mines in perseuenda ecclesia omnem humanũ
affectum sic exuant? Hoc uidelicet est, quòd sa-
tan, qui agit in filijs incredulis, fertur perpetuo
& inexplebili odio aduersus filium Dei. Quare
teneri non potest, quin quoscunque uiderit esse
membra filij Dei per fidem, in eos omnia seui-
tia & immanitatis genera expediat. Hæc autem
idcirco nobis cõmemorantur, ut persecutionum
magnitudine non offendamur, nec animo fran-
gamur: sed contrà audentiores eamus, & in uo-
catione nostrã perduremus: certò confisi, quòd
cum qui in nobis est, maior sit, quàm qui est in
mundo, conseruemur in medijs etiam seuißima-
rum persecutionum procellis.

Hispani
Martpach

3. Tertium, quod in his uersiculis narratur, est

Securitas

Securitas impiorum. Etsi enim impij designant
coram Deo impißima, & coram hominibus im-
manißima: tamen in tam horrendis scelerib. sunt
securißimi, & dicunt in recessibus cordium suo-
rum, Dominus non uidet, Deus Iacob non intel-

b 3 ligit.

ligit. Existimant, quòd Deus, aut non curet res
 humanas, nec audiat gemitus piorum, nec uideat
 immanitatem impiorum: aut si curat, non abomi-
 netur, nò detestetur istam immanitatem: sed po-
 tius approbet eam, & agnoscat ipsam pro exi-
 mio & sacratissimo cultu. Quomodo enim dete-
 staretur illa, ad quæ conficienda tam foelices præ-
 beat euentus? Et quomodo complecteretur suo
 favore eum populum, qui iactat quidem se esse
 ecclesiã Dei: sed quem tradat hostibus tam cru-
 deliter maectandum? Non dissimilis securitas de-
 scribitur aliàs, apud Mosen in Deuteronomio:
 Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis
 mei. Et in Psalm. 9. Dixit in corde suo, oblitus est
 Deus. Et mox: Dixit in corde suo, non requiret.
 Ac iterum: Dixerunt, quomodo scit Deus, & si
 est scientia in excelsis? Et in Esaia dicunt impij:
Percussimus foedus cum morte, & cum inferno
paetum fecimus. Et in alio propheta, Non uidet
 nos, inquit, Dominus, dereliquit Dominus ter-
 rã. Huc etiã facit, quod Ecclesiastes dicit: Quia
 non profertur citò sententia, filij hominum abs-
 que timore ullo perpetrant mala. In Euangelio
 quoq; seruus nequam, quia uidet dominũ suum
 tardare, fit securus, & percutit conseruos suos.
 Quid igitur dicemus? Num quia impij secu-
 rã grassantur in ecclesiam Dei, & foeliciter pec-
 cant,

impia Sc.
 iritas

sa: 28.

Mat 1: 24.

cant, Dominus non uidet, non obseruat, nec puniet? Certè uidet, certè obseruat & puniet. Narrationem ergo crudelitatis & securitatis impiorum sequitur refutatio, seu reprehensio eorum. Sic enim pergit Psalmus canere:

8 Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.

9 Qui plantauit aurem, non audiret? qui formauit oculum, non aspiiceret?

10 Qui erudit gentes, non argueret? qui docet hominem sciētiam.

11 Dominus scit cogitationes hominis, quòd sint uanæ.

Supra in uersiculo septimo, impij uocarunt Deum, Deū Iacob. Non intelligit, inquit, Deus Iacob. Hoc cognomen debuisset eos admonere, quòd Deus uideat, et intelligat gemitus piorum, & tyrannidem impiorum. Non enim ignotum est, quæ fuerint occulta cōsilia Esau aduersus fratrem suum Iacob. Sed ea omnia uidit Deus, & seruauit Iacobum. Quare nisi impij prorsum essent insipientes, cæcati, & stupidi, facile ex ipsa patriarchæ Iacob mentione intelligerent, Deum non negligere piorum gemitus, nec approbare impiorum tyrannidem aduersus pios.

b . 4 Sed

Minat

Refuta

gen: 27

Sed recensentur admiranda opera Dei in hominis creatione, ut his admoniti, attollamus mentes nostras, & agnoscamus Deum summa cura & sollicitudine ecclesiam suam completi, & aduersus impiorum consilia tueri.

auris
Primum enim, admirabile opificium in homine, ac in alijs quoq; animantibus, est auris. Et impositum est hoc organon capiti, non sicut luttum adheret rotæ, sed sicut radix arboris infixæ est terræ, ut non tam creatum, quàm plantatum esse dicatur. Quid autem dicam de uirtute & actione huius organi? Vulgò aiunt, Consuetudo uilescunt, ideoq; miracula & beneficia huius sensus à paucis obseruantur. Sed profectò, si quis rectè perpenderit, omni admiratione plenum est, quòd hoc organon sic constitutum sit, ut discriminatim percipiat omnia genera soni. Et quantum sit beneficium, ex ijs hominibus, qui natura aut casu surdi sunt, ac ex rebus inanimis, intelligi potest. Huius autem tam admirabilis organi, & tam utilis sensus excogitator, creator & plantator est Dominus Deus noster. *Aurem audientem, inquit Salomon, & oculum uidentem, utrunq; fecit Dominus.*

uerb: 20
Quare fieri non potest, quin Deus opifex et plantator auris, audiat de cælo, non solum tonitrua illa quæ in aere sonant: uerumetiam gemitus

tus

tus & uoces piorum suorum clamantium ad se
 diu noctuq; audiat quoq; gloriosas illas iactatio-
 nes, & graues minas impiorum aduersus pios.
 Nec est, quòd existimes Deum habitare in caelo
 sublimius, quàm quòd audire possit ea quæ in ter-
 ris, aut etiam in cordibus uel piorum uel impio-
 rum sonant. Dicit enim per prophetam, Cælum
 & terram ego impleo. Et Paulus, Non longè, in-
 quit, abest ab unoquoq; nostrū. Per ipsum enim
 uiuimus, & mouemur, & sumus. Et in Psalmo
 dicitur: Prospexit de excelso sancto suo: Domi-
 nus de caelo in terram aspexit, ut audiret gemi-
 tus compeditorū, & solueret filios occisioni de-
 stinatos. Quod cum uerè ita se habeat, cur pius,
 sub cruce ad Deū ingemiscens, & Deū in nomi-
 ne seu ex fide filij eius Domini nostri Iesu Chri-
 sti inuocans, dubitaret, aut metueret, ne exaudi-
 retur? Aut quomodo impij possent impunè fer-
 re, quòd coram Deo, omnia audiente, tam glo-
 riosas uoces, & tam graues minas aduersus eccle-
 siam suam impudenter proijciant?

Deinde, non minus admirabile organon est
 oculus. Hic paruus est orbiculus, sed ex tam ua-
 rijs thecis aut tunicis compositus, ut ex eo indu-
 stria opificis manifestè cognoscatur. Quod au-
 tem ad uirtutem & actionem eius attinet, pro-
 gredere, quæso te, in latum campum, & suspice

b s cælum

Egd: 23.

Act: 17.

ps: 101

oculus



cœlum sursum, ac despice terrā deorsum, quā
 immensum spaciū, tam minutus orbiculus uisus
 suo comprehendit? Et hoc organon creauit &
 formauit Dominus Deus noster. Quid igitur di-
 cemus? Num is qui tam clarum, tam mirandum
 uidendi organon creauit, cæcus esset? aut non ui-
 deret ea quæ in terris, uel ab impijs aduersus ec-
 clesiam Dei perpetratur, uel à pijs sufferuntur?
 In Psalm. 33. dicitur: Oculi Domini super iustos,
 & aures eius in preces eorum. Vultus autem Do-
 mini super facientes mala, ut perdat de terra me-
 moriam eorum. Et aliàs, Dominus in altis habi-
 tat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Ac
 in alio Psalmo, Dominus numerat gemitus pio-
 rum, & colligit lacrymas eorum in utrem. In
 Esaia, Super quem, inquit, respiciam, nisi super
 humilem & timentem sermones meos? Sciunt
 igitur pij, Deum tunc in propinquo esse, & aspi-
 cere ipsos clementer, cum sunt afflicto, contrito,
 & humiliato corde, hoc est, cum Deus uidetur
 longissimè abesse. Sciunt & impij, Deum, qui est
 scrutator cordis & renū, tunc maximè omnium
 aspicere consilia & cogitationes ipsorum aduer-
 sus pios, cum putant se absconditissimè latere.
 Quare cohorrescant ad præsentiam tantæ maie-
 statis & seueritatis, ac respiscant ab impijs suis
 conatibus.

Ps 33.

Isa: 66.

ier: 17

Reg: 8. Inq: salomo. In solis no. Præ-
 corda filiorū hoīm.

Præterea, Deus corripit seu erudit gentes. Hoc illud est, quod Paulus ad Romanos scribit, gentes diuinitus habere cognitionē legis, ex qua in conscientia sua, propter malefacta arguātur. Gentes, inquit, quæ legem non habent, natura faciūt quæ legis sunt (hoc est, habent natura conscientiam malefactorum.) Hæ legem non habentes, sibiipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis, (quod est accusare male factum, & approbare bene factum) scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus. Quod igitur Psalmus dicit, hęc habet sententiā: Deus insculpsit natura in omnes homines iudicium legis, ut etsi carent lege scripta, tamen cum malefaciunt, reprehenduntur à sua ipsorū conscientia. Quæ reprehensio non temerè in humano corde nascitur, sed est correptio seu eruditio Dei. Si ergo Deus arguit peccati omnes gentes, quamuis simpliciter peccantes, quomodo nō argueret tandem peccati hostes ecclesiæ Dei, qui non simpliciter, ut aliæ gentes, sed immaniter, adeoq; planè satanicè peccant? Aliæ gentes, quæ sunt alienæ à populo Dei, non euadunt impunes in sceleribus, quæ aduersus se inuicem designant: et euaderent impunes hi, qui crudelissima quæq; aduersus ecclesiam Dei, atq; adeo aduersus Deū ipsum

Ro: 2.

Refutatio

a Mi
ri

ipsū designant? Non euadent, non certē euadent. Exurget enim Deus, & dissipabuntur inimici eius, & fugient, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei.

Ad hæc, Dominus docet hominem scientiã, hoc est, quidquid homines habent iudicij, scientiæ, & cognitionis, uel de diuinis ac cœlestibus, uel de humanis ac terrenis rebus, non est temerè in humana ratione natum, sed est donum Dei.

1 cor: 4. Quid habes, inquit Paulus, quod non accepisti? Quòd si Deus est donator cognitionis in homine, quomodo ipse nō cognosceret, quid impij conarentur, aut agerent aduersus suam ecclesiam? Quomodo omnis cognitionis autor ignoraret impiorum scelera, quæ maximè sua, ad uindictam ecclesiam, scire & cognoscere interest?

Postremò, Dominus, inquit, nouit cogitationes hominis, quòd uanæ sint. Quid ergo dicemus? Num uana fuit cogitatio Mosi, cum cogitauit Israelitas educere ex Aegypto? Num uana fuit cogitatio Ezechie, cum cogitauit serpentem æneum abolere, & Dominum aduersus blasphemias Saneheribi inuocare? Num uana fuit cogitatio Petri, cum cogitauit, contra edictum pontificum, magis obediendum esse Deo, quàm hominibus? Nihil minus. Quod enim hic dicitur, No-
uit

nit Dominus cogitationes hominis, quòd uanæ
 sint: nō intelligendum est de his cogitationibus,
 quas homines ex uerbo Domini, per spiritūsan-
 ctum suscipiunt (hæ enim sunt sanctæ cogitatio-
 nes) sed intelligendum est de his, quas homines sus-
 cipiunt è sua ipsorum carne, & è suis humanis
 uiribus, aut etiã ex uerbo Domini, sed carnaliter
 intellecto. Hæ cogitationes, etsi plerunq; in re-
 cessibus cordium ita latere solent, ut ne ipsis qui-
 dem cogitatoribus notæ sint, Deus tamen scruta-
 tur eas & cognoscit uanitatē & impietatem
 earum. Sic Deus uidet insipientem in corde suo
 dicere, Non est Deus, quanquam insipiens existi-
 met se Deum maximè omnium colere. Sic Deus
 prospicit de cœlo super filios hominum, & uidet
 omnes declinare, simul inutiles esse, nec esse qui
 faciat bonum, ne unum quidem: quanquam ma-
 gna hominum pars ueram sibi iustitiam & boni-
 tatem, etiam iureiurando tribuat. Sic Deus in-
 tuetur omnes homines, & inuenit eos natura
 mendaces, etiamsi longè aliud de seipsis sentiãt.
 Cum igitur Deus cognoscat uanitatē omnium
 hominum, qui fieri posset, quòd non cognosce-
 ret etiam crudelitatem & immanitatem ho-
 stium ecclesiæ suæ? Certè cognoscit eam tam per-
 spicue, ut sit eam suo tempore horrendo suppli-
 cio uisitaturus.

12 Beatus uir, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris.

13 Ut capiat mitigationē (seu tranquillitatem) à diebus malis, donec fodiatur impio fouea.

14 Quia non repellet Dominus plebem suā, & hæreditatem suam non deseret.

15 Donec iustitia conuertat iudicium, & post hac omnes recti corde (exultabunt.)

In superioribus uersiculis refutauit Psalmus securitatem impiorum, quæ erat posterior pars narrationis. Nunc reuertitur ad priorem partem, in qua inquirebatur, usquequo peccatores et impij iactantiam & crudelitatem suam impunè ferrent. Ad hanc ergo interrogationem respondet nunc spiritus sanctus, exponens definita esse tempora fœlicitatis impiorum, post quæ ueniat perpetuus eorum interitus. Sed priusquam hoc exponit, docet pios interea temporis affligi quidem, non tamen suprâ quàm ferre queant. Beatus, inquit, uir, quem tu erudieris Domine. Hic mundus iudicat ecclesiam longè omnium infœlicissimam esse, quòd cum tam crudeliter ab hostibus suis tractetur, uideatur à Deo prorsus deserta

*dicum
mundi*

serta & abiecta. Quis enim diceret Deum fauere illi populo, cuius hostibus dat uictoriam, & cuius uiduas & pupillos finit tam crudeliter occidi? Sed spiritus sanctus pronunciat hoc loco contra iudicium mundi, ecclesiam in tantis aduersis foelicem esse. Etsi enim grauissimè affligitur, tamen habet filium Dei doctorem Euangelij sui, & mitigatorem malorū, donec uerè ac perpetuò liberetur. Beatus, inquit, uir, quem tu Domine erudieris, & docueris de lege tua. Lex Dei hoc loco nō propriè sumitur pro præceptis, seu decretis, de quibus Paulus dicit, quòd ostendant peccatum & occidant: sed generaliter pro doctrina uerbi Dei, iuxta propriam significationem Hebraeae dictionis Thora, quod à docendo deducitur. Et in Esaia, nomine legis, doctrina Euangelij intelligitur, De Zion exhibit lex, &c. Quod igitur Psalmus ait, Beatus uir, quem tu Domine erudieris, & docueris de lege tua, ut capiat mitigationem à diebus malis: hanc habet sententiam: Ecclesia piorū foelix est, quòd etsi multa aduersa patitur, tamen doctrina Euangelij diuinitus sic eruditur, ut ex his malis magis capiat consolationem & mitigationem, quàm dolorem, donec ueniat interitus impiorum, & perfecta salus piorum.

Obserua igitur mihi hoc loco, quòd cum Psalmus

mus

Iudicium.
Sancti.

Lex.

Esa. 2.

mus dicit, Deū docere ex uerbo suo capere tranquillitatem à diebus malis: non autem dicit, docere eum: dies malos non contingere: perspicue significet, eam esse sortem ecclesie suae in hoc mundo, ut habeat malos dies, et sit obnoxia omnibus generibus afflictionum. Sententia enim lata est, nec retractatur, quòd omnes, qui pie uolunt uiuere, necesse habeant in hoc seculo persecutionē pati, et aduersis affligi. Multa, inquit, tribulationes iustorū. Et, Ecce ego mitto uos sicut oves in medio luporum. Et, In mundo afflictionem habetis. idq; fit precipue duabus de causis. Altera, quòd ecclesia, etsi non est de hoc mundo, tamen habet adhuc in carne communem cum humano genere in hoc mundo conditionem. Omnes enim homines ducunt originem suam ab Adamo, qui cum per inobedientiam à Deo defecerit, propagauit peccatum in omnē suam posteritatem. Propter peccatum autem imposita est crux et afflictio uniuerso humano generi. Maledicta, inquit, terra in opere tuo. In sudore uultus tui comedes panem, &c. Quare, cum ecclesia sit pars humani generis, necesse habet eadem cum humano genere mala in hoc mundo ferre. Altera est, quòd præter hanc generalem conditionem, satan sit infensissimus hostis ecclesie, qui hoc unū noctesq; diesq; meditatur, ut ecclesiam magnitudine

ors uita
hensii

Tim: 3.

33.
Mat: 10
afflictio iustorū
est deus
mud.

gen: 3.

tudine afflictionum offendat: & à fiducia in fili-
 um Dei, ad interneccionem trahat. Quare non
 hoc nobis agendum est, ut in summa tranquilli-
 tate, absq; omnibus aduersis in hoc mundo uiua-
 mus (hoc enim fieri non potest) sed ut præpare-
 mus nos, ad fortiter ferenda, quæcunque incide-
 rint, aduersa.

Dices ergo, Si hæc est conditio ecclesiæ Dei,
 quid ea est miserius? Miseria enim eius, præ alijs
 hominibus, duplicatur. Quid ergo ea calamito-
 sius? Rectè diceres, si hæc duplicata miseria non
 compensaretur alia ratione. Nunc autem bene
 habet. Magna est ecclesiæ miseria in hoc seculo:
sed & magnæ sunt cõsolationes ac mitigationes.
Filius enim Dei erudit & docet eam de lege sua,
 hoc est, de doctrina euangelij sui, ut etiam gau-
 dium capiat ab afflictionibus: tantum abest, ut
 ab ipsis deglutiatur. Primum enim Euange-
 lion filij Dei docet, quòd peccata sint per ipsum
 coram Deo expiata, ideoq; afflictiones ecclesiæ
non sint amplius signa irati, sed propitij Dei. In
 Genesi extat Euangelion, Semen mulieris conte-
 ret caput serpentis. Extat et aliud, ad Abraamũ,
 In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ex
 hoc Euãgelio cognoscitur, quòd maledictio, quæ
 inuasit humanum genus, uertatur per semen A-
 brahæ, per filium Dei, in benedictionem, ut quot
 c quot

Miseria
 & mitigatio
 omnes

gen: 32

Proverb. 3

quot in ipsum credunt, cōsequantur propter ipsum benedictionem remissionis peccatorum, benedictionem fauoris diuini, benedictionem in omnibus afflictionibus. Vnde & in Prouerbijs dicitur: Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias, cum ab ea corripieris. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater filium cōplectitur. Vides igitur, quòd Euangelion docet, aduersa non esse signa tyrannici, sed paterni animi in Deo erga ecclesiam suam.

Deinde lex Dei, seu uerbum & Euangelion filij Dei docet eos, qui, cum sint populus seu ecclesia Dei, magnis aduersis affliguntur, in magna esse dignitate coram Deo, tantum abest, ut propter aduersa sint Deo abominabiles. In Psalmo sic dicitur: Si uoluisses sacrificium, certè dedissem, sed holocaustis non delectaris. Sacrificiū Deo, spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicias. Cum Psalmus dicit, Spiritum contribulatum esse Deo sacrificiū, perspicuè significat, afflictiones piorum in magna esse coram Deo dignitate. Et in alio Psalmo dicitur, Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Hæc est manifesta concio, de afflictionibus ecclesie, quòd Deus iudicet eas dignissimas, quas non solum respiciat, & quibus præsto adsit, uerumetiam quibus

5. 50

33.

bus medeatur, et quas manibus suis, ut ita dicam, tractet ac mitiget. Sic & in Esaia dicitur, Habitans cum contrito corde, & humili spiritu ut uiuificet cor contritorum, &c. Qui locus docet afflictos fieri habitaculum seu templum Dei. Sicut & in Psalmo ait, Cum ipso sum in tribulatione. Quanta aut dignitas est, esse templū Dei?

Præterea, uerbum Dei docet, afflictiones ecclesie non solum habere suam coram Deo dignitatem, sed asferre etiam maximam utilitatē tantē corporalem, quā spiritualem. In Psalm. 70. dicitur, Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus uiuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me. Vide mihi Iosephum. Quantam, obsecro, utilitatem consecutus est ex eo, quod uenditus fuerit à fratribus in seruitutem, & postea cōiectus in carcerem? Ecce enim è carcere exaltatur in principatum Aegypti, et alit in fame uniuersum tam genus suum, quā regnum Aegypti. Vide etiam Dauidem, Is ab exilio assurgit in thronum regium. Itaq; exilium, quod in oculis hominum uidebatur casus è regno, erat coram Deo gradus ad regnum. Dies me deficeret, si commemorare uellem omnia exempla scripturæ, quib. tanquā sigillis & pignoribus, Deus palam testificatus

est,

Esa: 57

est, aduersa esse gradus, quibus ad prospera peruenitur, ut præterea non dicam, ad quas uirtutes animi parandas aduersa iuuēt. Quæ omnia, cum pij considerant, concipiunt ex aduersis tantam mitigationem & tranquillitatem, ut in ipsis gaudio magis quàm dolore afficiantur. Sic Moses potius elegit simul malis affligi cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui: maiores arbitratus diuitias, probrum Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. Sic Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent, ut pro nomine Christi contumelia afficerentur. Sic Hebræi, in epistola ad Hebræos, acceperunt direptionem facultatum suarum cum gaudio. Sic & Paulus ait, Gloriamur super afflictionibus, sciētes quòd afflictio pariat patientiam, patientia probationem, probatio spem, &c. Cum igitur doctrina Euangelij, sit organon illud, quo filius Dei erudit spiritus sancto suo ecclesiam, ut ex afflictionibus capiat consolationem & tranquillitatem, sectandum & complectendum est Euangelion filij Dei summo studio, ut consequamur ex eo *ἔκβασις*, sicut Paulus loquitur, qua omnia aduersa ferre queamus.

Sed humanus animus non petit tantum mitigationem in malis, uerum petit etiam liberationem à malis. Quantula enim hæc est consolatio,
 si medicus

om: 5.

Si medicus quispiam dicat ad podagricum: Non possum à te podagram tuam tollere, necesse habes eam toto uitæ tuæ tempore sustinere: sed dabo operam, ut dolorem nonnihil mitigem? His uerbis podagricus aliquantum recreatur quidē, animus autem eius non habet ueram & firmam tranquillitatem. Sic & populus Dei dicere posset, se grato quidem animo accipere malorum suorum mitigationem: sed si non accesserit uera liberatio, quid ipso calamitosius? Et, ut Paulus ait, si in hac tantum uita spem in Christo fixam habemus, maximè miserabiles omniū hominum sumus. Ad hanc ergo seu querelam seu obiectionem, ac simul etiam ad eam interrogationē, quæ supra, de diuturnitate foelicitatis impiorum proposita est, respondet Psalmus, cum addit, Donec fodiatur impio fouea.

Observabile dictum, quo docet spiritus sanctus, ecclesie diuinitus paratam esse, nō tantum mitigationem in malis, sed etiam liberationem è malis. Duo enim beneficia promittuntur & præstantur afflictæ ecclesie. Alterum est, quòd ecclesia etsi affligitur, nō tamen opprimitur afflictione, sed datur ei *inbas*, ut possit ferre. Alterum, quòd afflictiones ecclesie non sint sempiternæ, sed tantum temporariæ: & ut maximè sint diuturnæ, non tamen sunt perpetuæ. In te Domi
c 3 ne, in

Ps: 30.

ne, inquit alius Psalmus, speraui, non confundar in æternum. Fieri quidem potest, ut confundar: sed fieri non potest, ut confundar in æternum. Et alius, Nō dabit in æternum fluctuationem iusto. Habebit quidem iustus fluctuationem, sed non in æternum.

Ps: 54.

Porro, si afflictiones ecclesiæ non sunt perpetuæ, quæso te, quàm diuturnæ erunt? Usquequo durabunt? Audi Psalmum, Donec, inquit, fodiatur impio fouea. Foueæ solent in terra effodi, & parari ad capiendos lupos & uulpes. Quæ bestiae tantisper in gregem impunè seuiunt, dum parantur foueæ, quibus capiantur. Impij autem sunt ueri lupi & uulpes, imò & ursi & leones aduersus ecclesiam. Quare non diutius possunt in gregem ecclesiæ grassari, quàm dum effodiatur fouea, in quam incidant, & perpetuò intereant. Sunt & foueæ, sepulchra, quibus mortui conduntur. Et mortui solent tantisper in feretro reponi, dum effodiatur sepulchrum, & obruantur terra. Impij autem sunt corā Deo uerè mortui, imò iam dudum inceperunt coram eo putrescere & foetere. Non feruntur ergo diutius super terram, quàm donec effodiatur sepulchrum eorum, ut sub terram cōdantur. Est & infernus fouea, atq; adeò profundissima. Vnicuiq; autem impio suus est locus, sua fouea in inferno. Quid ergo

ergo fit? Impius non potest perpetuò in ecclesiã
 furere, sed tantisper, dum fouea eius in inferno
 effodiatur. Quo facto, ueniet ei repentinus inte-
 ritus. Habes igitur hoc dicto solutionẽ eius que-
 stionis, quam supra Psalmus proposuit. Usque-
 quo impij Domine, usquequo impij gloriabun-
 tur? Respondetur, Donec impijs fodiatuꝛ fouea.
 Habes & hoc dicto solutionem multarum simi-
 lium questionum & dubitationum in causa affli-
 ctionum, quas impij in hac terra pijs inferre so-
 lent. In Psalm. 12. dicitur: Usquequo Domi-
 ne obliuisceris me in finem? Usquequo auertis fa-
 ciem tuam à me? Et mox: Usquequo exaltabi-
 tur inimicus meus super me? Respondetur dicto
 huius Psalmi, Donec fodiatuꝛ peccatori fouea. In
 Abacuc queritur, Cur taces impio conculcante
 iustioꝛem se? Respondetur dicto huius Psalmi:
 Idcirco tacet, quia occupatur in effodienda im-
 pio fouea. Sic aliàs queritur, Cur impij sunt in
 hoc seculo tamdiu fœlices, & pijs infœlices? Re-
 spondetur dicto huius Psalmi, hoc idcirco fieri,
 quòd impijs nondum sit effossa sua fouea. Multi
 dubitãt hoc tempore, quid sit, quòd Hispani tam
 to iam tempore impune grassentur in ecclesias
 Germaniæ, & designent horrenda et abominan-
 da quæuis scelera? Cur enim Dominus ad hæc
 tamdiu conuiuet? cur fulmina sua in impios non
 mittit,

*Solutio s
 rioris qstio*

Abac: 1.

Hola

insigne Re-
sponsum
Christiani.

mittit, ut pij liberentur? Respondetur dicto hu-
ius Psalmi, Dominus ideo conuiuet, quia occupa-
tur adhuc in effodienda Hispanis fouea. Quae
postquam parata fuerit, ne dubites, quin dere-
pente, & praefer omnē ipsorum expectationem
in eam precipitentur. Ecclesiastica historia com-
memorat insigne responsum, quod pius quispiam
in negotio non dissimili insultanti ethnico dedit.
Iulianus enim imperator, suscepto bello aduer-
sus Persas, grauiter minatus est, se postquam re-
uersus esset à bello, uniuersam Christi ecclesiam
in imperio Romano deleturum. Ibi tum ethnicus
quispiam impius irrisit Christianum, & interro-
gavit eum, Quid nunc, inquiēs, agit fabri filius?
Sic autem contumeliae gratia uocabat Christum.
Respondit Christianus, fabricat, inquiens, Iulia-
no tuo feretrum. Nec longē post Iulianus periit.
Hoc responsum planē illud est, quod Psalmus di-
cit, Foditur peccatori fouea. Impij enim nō pos-
sunt diutius esse foelices, quā dum fabricatur
eis feretrum, & effoditur ipsis fouea.

Sed quia suū est huius fabricationis & effo-
sionis tempus, idcirco opus est spe & expectatio-
ne. Hinc est, quod spiritus sanctus toties in scri-
ptura inculcat nobis expectandum & sustinen-
dum esse Dominum, & sperandum in Dominū.
Psalm. 26. Expecta Dominum, uiriliter age, &

con=

confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Psalm. 36. Expecta Dominum, & custodi uiam eius, & exaltabit te, ut hereditate capias terram.

Psalm. 41. Spera in Deo, quoniam adhuc cōfitebor ei, salutare uultus mei, & Deus meus.

Esa. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Et iterum, Beati omnes, qui expectant eum.

Et Abacuc: Si moram fecerit, expecta eum: quia ueniens ueniet, & non tardabit.

Porro autem, expectare Dominum, non est ignauiter stertere, & officium suū deserere: sed est primū, de clementia Dei per Iesum Christū filium eius bene considerare, & fidem suam promissionibus Dei confirmare. Deinde est inuocare nomē Domini ex fide Christi, ut nos in aduersis conseruet. Adhac, est stationem suam tueri, & in uocatione Dei perdurare. Postremò est aduersa patienter & obedienter sine murmure, & execratione tolerare, ut non queras euasione[m] impietate, ac iniquitate, sed tantum inuocatione nominis Dei, & obedientia uocationis eius. Hæc omnia complectitur expectatio, quæ si sectati fuerimus, fieri non potest, quin tandem uideamus foueam effossam, & impiorum ruinam, hoc est, ueram nostram liberationem. Nam expectationem piorum haudquaquam uanam & irritam

*Expectare d
minum*

irritam esse, confirmat uersiculus qui sequitur,
 Quia non repellit Dominus plebem suam, &
 hereditatem suam non derelinquit. Hæc est ma-
 nifesta promissio de conseruatione ecclesie. Ac
 initio quidem populus Israel dictus fuit hæredi-
 tas Domini, propterea quòd Deus elegisset præ
 omnibus alijs gentibus posteritatem Abrahe,
 Isaac & Iacob, in qua conseruarentur promissio-
 nes de Christo filio Dei usque ad aduentum eius.
 Nunc autem ecclesia ex omnib. gentibus per E-
 uangelion collecta uerè dicitur hæreditas Domi-
 ni, quòd sit filio Dei à patre suo in hereditatem
 tradita. Postula à me, inquit pater ad filium, &
 dabo tibi gentes hereditatem tuam. Promittit
 igitur spiritus sanctus in hoc uersiculo, quòd Do-
 minus semper sit conseruaturus ecclesiam suam,
 collectam partim ex carnali posteritate Abra-
 he, partim ex alijs gentibus. quæ si agnoscunt per
 fidem, semen Abrahe, Iesum Christum, fiunt &
 ipse posteritas Abrahe. Itaq; pertinent etiã ad
 hanc promissionem, quæ ad Abraamũ dicta est:
 Ero Deus tuus, et seminis tui post te. Et aliàs, Te
 elegit Deus in hereditatem suam. Ex his & alijs
 id genus promissionibus manifestum est, quòd
 ecclesia, etsi affligitur, & conculcatur ab impijs,
 non tamen deseratur à Deo.

Quid ergo est, inquires, quòd pij, qui sunt ue-

ra ecc

ra ecclesia & hereditas filij Dei, toties conque-
 rantur se à Deo deseri? Deus, inquit alius Psal-
 mus, repulisti & confudisti nos, iratus es nobis.
 Et rursus, Tu es Deus fortitudo mea. quare me
 repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me
 inimicus? Sed et caput ipsum ecclesie, filius Dei,
 clamat, Deus meus, Deus meus ut quid me dereli-
 quisti? Hic considerandum nobis est, quòd alia
 sit derelictio corporalis seu externa, alia dereli-
 ctio spiritualis. Corporalem seu externam uoco,
 cum Deus pios, seu ecclesiam suam, in externis
 & corporalibus afflictionibus, ac etiam in mor-
 te sic deserit, ut non seruet eos externo aliquo mi-
 raculo in hac corporali uita: sed conniueat, ut et
 diutius affligantur, & tandem morte occubant.
 Spiritualem autem uoco, cum Deus hominem seu
 in afflictionibus huius uitæ, seu in morte ita dese-
 rit, ut in æternum pereat. Cum igitur scriptura
 aliquoties dicit, Deum deserere populum suum,
 non est intelligendū, quòd deserat eum spiritua-
 liter, sed tantum corporaliter. Etsi enim obscurū
 non est, quantis sepe miraculis Deus liberauerit
 populum suum ex periculis, & conseruauerit
 eum saluum in hac corporali uita, tamen deserit
 eum uel tandem, ut corporaliter moriatur: con-
 seruat autem eum spiritualiter, ut in morte non
 intereat, sed fruatur æterna fœlicitate. Sic cla-
 mat

Ps: 42. 5
 in 88.

Deseritio
 Corporalis
 et

Spiritualem

mat & filius Dei, se à Deo desertum, non quòd
 spiritualiter fuerit desertus. In cruce enim &
 morte ita conseruatus est, ut nec uiderit corru-
 ptionem, nec anima eius derelicta sit in inferno,
 sed resurrexerit tertia die, magna maiestate, à
 mortuis, & consederit ad dextram Dei. Sed de-
 sertus fuit corporaliter, quòd Deus non adiuue-
 rit ipsum externo miraculo in cruce, ut in ea nò
 moreretur, quemadmodum aliàs patriarchas ad
 iuuerat et conseruauerat. Hanc enim esse senten-
 tiam clamoris Christi, haud obscure testatur Psal-
 mus 21. è quo hæc uox sumpta est. Sic enim in eo
 Psalmo sequitur: In te sperauerunt patres no-
 stri: sperauerunt, & liberasti eos. Ad te clamaue-
 runt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & nò
 sunt confusi. Hæc sunt intelligenda de externa li-
 beratione & salute. Joseph clamauit ad Deum in
 carcere, & liberatus est è carcere. Moses, cum
 populo suo Israel, conclusus hostibus, montibus,
 & mari rubro, clamauit ad Deum, & eduxit
 Israelitas per mare rubrum saluos. Dauid con-
 clusus exercitu Saulis, clamauit ad Deum & e-
 uasit mirabiliter. Elias capiendus à quinquage-
 nario regis Israel, clamauit ad Deum, & descen-
 dit ignis de coelo, ac deuorauit quinquagenarium
 cum satellitib. suis, ut Elias saluus euaderet. Tres
 adolescentes clamauerunt in fornace Babyloni-

ca.

mi: 40. 42

43 @

Exod: 19.

Daniel: 19

Reg: 1.

Daniel: 3

Sadrach
mesach
Abednego

ta, ad Deum, & Deus effecit, ut in igne illæsi ser-
 uarentur. Daniel coniectus in lacum leonum, cla-
 mauit ad Deum, & Deus conclusit ora leonum,
 ne Danieli nocerēt. Innumera sunt id genus mi-
 racula, quibus Deus adiuuit sanctos suos in ex-
 tremis periculis. Clamat igitur Christus filius
 Dei, se in cruce ita deserī, ut nullo tali miraculo
 diuinitus iuuetur, sicut patriarchæ adiuti fuerūt.
 Oportebat enim eum humiliari usq; ad mortem
 crucis. Et tamen tunc maximè omnium adiu-
 tus & conseruatus est spiritaliter, quæ conser-
 uatio, sola est uera, summa & perpetua salus.
 Vide mihi Paulum, præcipuū Apostolum Chri-
 sti. Datur ei angelus satanæ, qui cædat ipsum co-
 laphis. Clamat igitur ter ad Dominum, ut mira-
 biliter seruetur. Etsi autem sæpe aliàs magnis mi-
 raculis seruatus est in periculis, tamen hic audit
 à Domino, Sufficit tibi gratia mea. Deserit Do-
 minus Paulum externa liberatione, non deserit
 autem eum spiritali liberatione, quia pergit eū
 sua gratia complecti, & mitigat ei afflictionem,
 & dat ei ἰσχύειν, ut possit sufferre, & conseruat
 eum tandem in morte, æterna uita. Hoc autem
 non est propter Paulum tantum gestum & scri-
 ptum, sed propter uniuersam ecclesiam, quemad-
 modum testatur ipse aliàs, Iesus Christus, inqui-
 ens, Ostendit in me primò omnem clementiam,
 ad exo

Dani: 5.

*spiritali
conseruatio*

2. Cor: 12.

1. Tim: 1-

ad exprimendum exemplar his, qui credituri essent in ipso, in uitam eternam. Quod igitur Psalmus dicit, Non repellit Dominus plebem suam, & quod ad Paulum, in sua afflictione dictum est, Sufficit tibi gratia mea: sentiamus ad unumquemuis nostrum, clamantem quidem ad Deum, & cupientem externo sensu ab aduersis liberari, non percipientem autem ullam liberationem, dici. Si quis enim, exempli gratia, graui morbo laborat, aut onere paupertatis premitur, aut carcere concluditur, aut mortis periculis comprehenditur, ac inuocat Deum ardentibus uotis, per Iesum Christum, ut iuuetur & liberetur, non sentit autem ullam externam mali leuationem, cogitet Dominum ad preces suas respondere, Sufficit tibi gratia mea. Sis hoc beneficio contentus, quod etsi affligeris, ac etiam morte occumbis, tamen adhuc complectar te gratia mea, sum tibi clemens & misericors. Non desero, nec derelinquo meum seruum, meum filium, etiamsi coniuueo, ut aduersis uexetur. Quid enim de hac re dubitares? An pater idcirco abiicit, aut deserit dilectum filium, quod esuriat, quod algeat, quod doleat, quod morbo conflictetur? Nihil certe minus. Sed potius fouet eum, & quanto minus ualet filius, tanto magis pater curat, ut ualeat. Existimas ne Deum esse hominibus, erga populum

lum suum inclémentiorem? Si uos, inquit, cum sitis mali, nostis bona dare filijs uestris, quanto magis pater uester coelestis dabit spiritum sanctum poscentibus se. Et Psalm. 102. Quomodo miseretur pater filio suo, sic miseretur Dominus timentibus se. Et in Esaia: Si mater potest obliuisci infantis sui, ut non misereatur filij uteri sui, ego obliuiscar tui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Huc facit memorabile illud Pauli dictum, quod ad Romanos scribitur: Quis nos separabit à dilectione Dei, ab ea uidelicet dilectione, qua Deus ecclesiam suam complectitur? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? hoc est: Etsi affligimur, ærumnas patimur, persecutionem sustinemus, fame torquemur, nuditate algemus, periculis obruimur, gladio occidimur: hæc tamen mala non sunt tanti momenti, ut possint Deum auertere, quo minus nos propter Christum filium suum diligat: sed quanto maiora sunt mala, tanto magis curæ ei est salus nostra. Et sequitur in Paulo: Persuasum mihi est, quod neq; mors, neque uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neque instatia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione, qua Deus nos, propter Iesum
 Chria

Math: 7.

Ps: 102.

Esa: 49

Rom: 8.

Christum Dominum nostrum, complectitur.
Hoc uerè illud est, quod Psalmus noster dicit: Nō
repellit Dominus plebem suam, & hereditatem
suam non derelinquit.

Priusquam autem ad reliqua Psalmi perga-
mus, de re una adhuc admonendi sumus, uideli-
cet, quòd Psalmus non simpliciter dicit, Domi-
nus non repellit plebem: sed disertè addit *Suam,*
suam, inquam, plebem non abiicit: suam heredi-
tatem non deserit. Quare si quis uoluerit hoc be-
neficio frui, ut non repellatur, nec deseratur à
Deo, etiamsi uarijs incommodis conflictetur, ne-
cesse habet pars populi Dei, membrum heredi-
tatis seu ecclesiae Dei, & ouis pascuae Dei esse.
Alieni non fruentur hoc beneficio, sed tantū do-
mestici Dei. Quomodo ergo fiam pars populi
Dei? quomodo fiam membrum ecclesiae Dei, &
domesticus eius? Hic nunc obseruanda est doctri-
na Euangelij de filio Dei. Docet enim Euange-
liū, quòd adoptemur in filios & domesticos Dei,
non nostris meritis, sed tantum per fidem in Ie-
sum Christum Dominum nostrum. Quotquot,
inquit Ioannes, receperunt eum, dedit eis pote-
statem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen
eius. Docet etiam Euangelion, ut ex hac fide in
Christum, bonos fructus feramus, & proximum
diligamus. Cooptamur ergo in populum Dei,
& in

doctrina Eua-
gelij.

oh: 1.

2

Et in membra ecclesie, per fidem, propter Christi-
 stum, et profitemur hanc cooptationem per fru-
 ctus fidei: hoc est, per inuocationem, per confes-
 sionem nominis Dei, et per caritatem erga pro-
 ximum. Quod si autem peccauerimus, et per pec-
 catum eiectioni fuerimus e populo et ecclesia Dei,
 reliqua est poenitentia, qua ad populum Dei re-
 dire licet. Cauendum quidem omni studio est, ne
 peccemus. Sed si quis peccauerit, inquit Ioannes,
 aduocatum habemus, apud patrem, Iesum Chri-
 stum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis
 nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam
 pro totius mundi. Sed haec copiosius alias traduntur.
 Nam mentionem huius rei idcirco facere uoluimus,
 ut ostenderemus ad quos pertineat beneficium
 diuinae curae et conseruationis in omnibus aduersis:
 et ut toto corde in hoc studium incuberemus, quo-
 simus membra hereditatis seu ecclesie Dei: aut si
 per peccatum excidimus, ad ecclesiam Dei, absque om-
 ni mora, per ueram poenitentiam reuertamur.

Sed sequitur alia responsio ad interrogatio-
 nem seu querelam, quae in principio Psalmi posita
 est, Usquequo impij Domine, usquequo impij ex-
 ultabunt? Respondit enim Psalmus supra, Donec
 fodiatur, inquiens, impio fouea. Nunc autem re-
 spondet secundo, Quoad usque, inquiens, iu-
 stitia conuertat iudicium. hoc est, impij non exul-
 tabunt.

Br. in Ioh. cap. 8. pag. 48^d

Cooptatio
 in filios d

1. Ioh: 2.

Altera R
 sponso

Iustitia

iudicium

tabunt perpetuò, non erunt in sua impietate in
 æternum fœlices: sed tantisper, dum iustitia con-
 uertit iudicium. Hæc duo uocabula iustitia &
 iudicium, ubi in scriptura coniunguntur, solent
 ferè in forensi significatione sumi. Iustitia enim
 est, cum iustus redimitur & liberatur. Aequum
 enim & iustū est, ut iustus defendatur, & à uio-
 lentia iniustorum seruetur. Iudicium autem est,
 cum impio seu iniusto infligitur supplicium. Hæ
 sunt duæ partes officij iusti iudicis, uidelicet ut
 innocentes tueatur, & nocentes puniat. Hoc est
 facere iustitiam & iudicium. Quod Petrus &
 Paulus dicunt, ad laudem bonorum, & poenam
 malorum. In hoc igitur seculo, cum impij fœlici-
 ter promouent in consilijs suis aduersus pios, &
 cum iniusti opprimunt iustos, iudicium inuerti-
tur, & dat quasi tergum. Postquam autem exur-
 rexerit Dominus, & sederit, sicut alius Psalmus
 loquitur, super thronum, ac inceperit pios libe-
 rare, hoc est, iustitiam facere, tūc iustitia dicitur
 conuertere iudicium auersum: quia tunc impij,
 qui antè fœlices erant, incipiunt esse infœlices,
 & pro meritis suis puniuntur. Quare sicut an-
 tea exultabant impij, & insultabant pijs, cum iu-
 diciū uidebatur auersum: ita postea exultant om-
 nes recti corde, & insultāt uicissim im pijs, cū iu-
 diciū iterū conuertitur per iustitiā. Stabunt, in-

ius At. 3. uocat illud iudicium, & m. qui
 is Refugium & Restitutio.

quit liber Sapientiae, iusti in magna constantia.

Observandum autem est, quod duplex sit iudicium Dei in impios. Alterum est, externum, mundanum, & quasi priuatum, uidelicet cum Deus iudicat & punit impios externis supplicijs in hoc seculo, & aut deijcit eos de maiestate & felicitate huius seculi, in ignominiam & infelicitatem corporalem. Quale fuit supplicium Nabichodonosoris, qui laborauit septē annis insania: et quale fuit Herodis, occisoris Baptistae, et irrisoris Christi, qui Herodes eiectus fuit à tetrarchia in exilium. Aut tollit impios de hac uita, non uulgari, sed horribili mortis genere. Quale supplicium fuit diluuium, incendium Zodomiticum, submersio Pharaonis in mari rubro, deuastatio urbis Hierusalem, & id genus multa alia. Ac tali quidem iudicio solet Deus nonnunquam uisitare impios, in hoc seculo, ut in securitate eorum, declaret se adhuc sedere in throno maiestatis suae: & probet hoc argumēto seueritatem suam erga impios, ac incutiat securis metum. Non solet autem omnes impios hoc modo uisitare, nec haec externa supplicia sunt extremae pro merito impietatis satisfactiones: sed reliquum est alterum iudicium, generale, in nouissimo huius seculi die. Hoc iudicium nullus impius, siue in populo Dei, siue in alijs gentibus, etiamsi à priori illo

d 2 liber

Iudicium

in Impios

externum

aut

Daniel: 4

Math: 14

Gen: 7

Gen: 19

Supplicium

1 Reg: 16

general

liber fuerit, & in summo tranquillitate, sicut diues ille in Euangelio, moriatur, euadere potest. Hoc iudicio omnes impij perpetuis supplicijs afficientur. Ad hoc iudicium omnes pij in hoc mundo afflicti appellant. In hoc enim consequentur æternam ab omnibus malis liberationem.

Sed quod de hoc iudicio Dei dicitur, impij sua uiter ridere, imò etiam effuse cachinnari solent. Dicunt, quod est apud Petrum, Vbi est pollicitatio aduētus eius? Dicunt, Si mihi tam longinquã uindictæ terminum statuis, tunicam tibi cum pallio auferam. Obserua igitur, quòd etsi contemptores uerbi Dei, rident hanc doctrinam, tamen nihil certius est, quàm quòd tale generale iudicium suo tēpore, uel tandem sit uenturũ. Hoc testatur uniuersa diuina scriptura: hoc testantur ab initio mūdi patriarchæ, prophætæ, Apostoli, & filius ipse Dei. Hoc testantur omnes piorum afflictiones, in quibus ex hac uita tolluntur: & omnes impiorum foelicitates, quibus ad extremum usq; uitæ huius spiritum fruuntur. Quæ enim esset illa æquitas & iustitia Dei, quòd conuineret, ut pij in hoc mundo semper essent infœlices, impij autem semper foelices, si non reliquã esset generale iudicium, quo hæc iniquitas corrigeretur? Ac profectò hoc iudicium, si rem diligenter perpenderit, non potest longè abesse.

Etsi

Et si enim ignotum est nobis tempus aduentus eius, & fortassis fieri potest, ut adhuc aliquot centenarijs differatur, tamen priuatus uniuscuiusq; mortis dies longè abesse non potest. Dies annorum eius, inquit, septuaginta anni: aut si multū, octoginta: si quid his accesserit, labor est & dolor. Inter priuatum autem cuiusq; mortis diem, & inter diem generalis iudicij, quantum, quaeso, temporis interesse putas? Non de uiuentium in hac terra, sed de mortuorum ratione quaero. Scimus quidem homines in hoc seculo suam habere numerandi rationem, & computare annos, menses, dies, horas, & minuta horarum. Alia autem est mortuorum ratio. Quod enim ad hos attinet, mille anni sunt coram ipsis, sicut unus dies: et unus dies, sicut mille anni. hoc est, nulla est temporum ratio apud mortuos, sed omnia sunt unū & aeternum momentum. Itaque Petrus & Paulus, qui à Nerone, hoc est, annis ab hinc plusquā mille quadringentis, occisi sunt, cum excitabuntur in extremo die, non sentient tot annos à morte sua præterijisse, sed existimabunt se iam primū obdormijisse: quia in altero seculo, in quo nunc uitam suam uiuunt Petrus & Paulus, non est talis, qualis in hoc seculo, temporis cōputatio. Sciamus igitur, quòd unusquisq; nostrū tanto duntaxat tēpore à iudicio nouissimi diei absit, quantum

ps: 89.

dies per quinque
 nis nostrae, sicut
 panis et ual
 Inq. Iacob. gen.

Tempus
 infirmi di

tum abest à tēpore mortis suæ. Quantū aut, obsecro, abest? fortassis uiginti annos, fortassis unū annū, fortassis unā hebdomadā, fortassis unum diē, fortassis unam tantū horā, aut si quid est minutius. Omnia incerta. Quare in hoc unum studium incumbendū est, ut sine ulla dilatione præparemus nos ad iudicium Dei. hoc est, ut ingrediamur sine macula, & operemur iustitiā, quem admodum alius Psalmus docet. Quis autem, inquier, coram tam seверо tribunali consistere potest, cum diuina lex exigat ab omnibus hominibus perfectam iustitiam, et cum in iudicio Dei exultent tantum recti corde, sicut noster Psalmus dicit? Quis in tam corrupta natura hominum præstaret perfectam iustitiam? Quis posset gloriari se esse recto & mundo corde? In conspectu tuo, inquit alius Psalmus, non iustificatur omnis uiuens. Quomodo igitur sperabimus nos in iudicio Dei exultaturos. In hac obiectione considerandum est, qui sint illi recti & mundi corde, qui in iudicio Dei exultare et consistere possunt. Nam si consideraueris perfectam iustitiam, quam lex Dei exigat, recte dicit Psalmus, Non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. Et, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quare iuxta hanc considerationem, ut nullus hominum habet cor perfecte rectū

ac muni e

Obiectio

ac mundum, ita nullus hominū potest coram tri-
 bunali Dei consistere. Etsi enim quaedam est ex-
 terna hominum honestas, tamen peccatum carni
 ita inheret, ut etiam hi, qui spiritum Dei accepe-
 runt, nō possint peccatū perfectē in hac uita ex-
 purgare. Si autem consideraueris filium Dei, Ie- 2
 sum Christum Dominū nostrum, qui nobis per
 Euangeliō offertur, ac donatur, ac per fidem ac-
 cipitur, & possidetur, tunc omnes credentes in
Christum uerē dicuntur recti & mūdi corde. Fi-
 lius enim Dei perfectē iustus est & mundus, ac
 donatur credenti in ipsum, totus, cum omni sua
 iustitia & mundicie. Cum enim Deus non peper Rom: 8.
 cerit proprio filio suo, sed pro nobis omnib. tra-
 diderit illū, donauit & omnia nobis cū eodē, ut
 Paulus ait. Et Christus ipse: Qui credit in me, in-
 quit, etiā si mortuus fuerit, uiuet. Quare si consi-
 deraueris Christū, homini pio donatū, & in pio
 habitantē, etsi homo habet adhuc peccatū in car-
 ne, reputatur tamē iustus, rectus & mūdi cor-
 de, propter Christū per fidem. Hoc tantū nobis
curandum est, ne secundum carnē, sed secundum
spiritum uersemur, & ne designemus peccatum
uastans conscientiam, ut non amittamus Chri-
stum: sed mortificemus spiritu facta carnis, &
accommodemus membra nostra arma iustitię
Deo, quemadmodum Paulus loquitur.

16 Quis insurget mecum aduersus malignantes? quis statuet se mecum aduersus operantes iniquitatem?

17 Nisi Domine adiuuisses me, parum abfuisset, quin habitasset in inferno (in silentio) anima mea.

18 Si dicebā, mouetur pes meus, misericordia tua Domine sustentabat me.

19 In multitudine tristium mearū cogitationum, quæ intra me erant, consolationes tuæ exhilararunt animam meam.

Hæc est altera pars huius Psalmi, in qua Dauid proponit suum ipsius exemplum, & docet, in se priuatim comprobatū esse, quod supra generaliter de ecclesia commemorauit, uidelicet ecclesiam affligi quidem grauitè ab impijs, habere autem suam non solum consolationem & mitigationem, uerum etiam liberationem. Quis, inquiēs, insurgit mecum aduersus malignantes? Habet & hæc interrogatio suam emphasin, ac uehemētius sonat, quàm si simpliciter diceretur: Nullus hominum, aut paucissimi iuuant me in aduersis

aduersis, et pugnant mecum cum impijs meis ho-
stibus. Hæc fuit fortuna Dauidis. Cum esset fœ-
lix, multos numerabat amicos: postquam autem
obrueretur infœlicitate, partim propter pro-
fessionem piæ doctrinæ, partim propter unctio-
nem in regem, quã à Samuele acceperat, partim
propter persecutionem filij sui Absolomis, pau-
cissimi erant, qui insurgerent cum ipso, aduersus
hostes eius. Ac alij quidem, etsi cupiebant, nõ ta-
men poterant eum iuuare, ut Ionathas, & pauci
alij. Maxima autem pars eò, quò fœlicior fortu-
na, inclinabat. Ad exulantem uenerunt nonnul-
li in desertum: sed qui magis à Dauide, quàm Da-
uid ab ipsis, opem peterent. Postea eiectus è re-
gno à suo filio, congregauit quidem exercitum:
sed hic exercitus collatus cum exercitu Absolo-
mis, non uidebatur admodum magni momenti,
quippe quòd totus Israel, ut scriptura ait, seque-
batur Absolomẽ. Quid plura? Vt maximè Da-
uid habuerit adiutores quosdam homines in peri-
culis externis et corporalibus, tamen in certami-
nibus spiritualibus, & in terroribus mortis, ac
doloribus inferni, nullus hominum potuit eum iu-
uare. Pater meus, inquit, & mater mea dereli-
querunt me. Quod habes in exemplo Dauidis,
hoc idem Christus, uerus Dauid, in se quoq; gestũ
conqueritur. Tribulatio, inquiens, proxima est,

d s quoniam

1. Reg. 16.

2. Reg. 15.

Sanctum
Sanctum
mag. Dm.

ps. 26.

f. 69.

quoniam non est, qui adiuuet. Et iterum: Extra-
neus factus sum fratrib. meis, & peregrinus filijs
 matris meæ. Ac mox: Sustinui, qui simul con-
 tristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, &
 non inueni. Habuit quidem Christus multos as-
 seclas, cum ederet miracula, cum pasceret mul-
 ta milia hominum in deserto, & cum adhuc e-
 tiam Phariseis esset uenerabilis: postquam au-
 tem tenebatur captiuus, & acclamabatur, Cru-
 cifige, nullus erat, etiam ex discipulis, ac ijs, quos
 sanitati restituerat, qui pro eo uel hiscere au-
 deret. Quod contigit capiti ecclesiæ, hoc e-
 tiam corpori contingere solet. Quod Domino
 accidit, mirandum non est, ut & seruis accidat.
 Non enim est seruus maior Domino. Nam ec-
 clesia, quæ est corpus Christi, multos uidetur
 habere amicos & adiutores, cum à parte eius
 stant reges & principes, & cum habet adhuc
 aliquot huius terræ facultates. Sed postquam
 reges & principes persequuntur eam, & uersa-
 tur in maximis periculis, non est qui eam uel se-
 reno uultu aspicere dignetur. Ac in ecclesiam
 aptissime competit, quod Hieremias urbi Hieru-
 salem accidisse deplorat, Non est, inquiens, qui
 consoletur eam ex omnibus caris eius. Omnes a-
 mici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimi-
 ci. Quid igitur dicemus? Num quia Dauid
 deserit

Deseritur in suis aduersis, ab hominibus, deseritur
 etiam à Domino Deo suo? Num quia reijciatur
 ab amicis, reijcitur etiam à Deo? Nihil certe
 minus. Nisi inquit, tu Domine adiuuisses me,
 parum abfuisset, quin habitasset in silentio, seu
 inferno anima mea, quin amisisssem uitã meam.
 Deseruerunt me homines, sed Dominus adiuu-
 uit me, & liberauit me ex omnibus malis. Quan-
 quam enim tantæ erant aliquoties afflictiones,
 ut ego ipse confiterer, pedem meum moueri: hoc
 est, me non posse consistere: ac desperarem de ui-
 ta, & sententiam mortis ipse in me acciperem:
 tamen Dominus clementia sua sic me tuebatur,
 ut admirabiliter, præter expectationem, serua-
 rer. Habui sepe ac multum tristissimas cogita-
 tiones, & grauissimos dolores animi, in quibus
 nullus hominum me consolari potuit: sed ecce,
 quemadmodũ mater, ludens cũ filiolo suo, in gre-
 mio, solet eũ suauissimè exhilarare, ita Dominus
 in medijs terrorib. exhilarabat me cœlestib. blã-
 ditijs. Sic & aliàs dicit, Pater meus, et mater mea
 dereliquerũt me, Dominus aut̃ assumpsit me. Et
 Christus: Ego erã pauper et dolens, salus aut̃ tua
 Domine suscepit me. Et Paulus: Benedictus Deus
 et pater Domini nostri Iesu Christi, qui est pater
 misericordiarũ, et deus ois cõsolationis, cõsolans
 nos in omni afflictioe nostra, in hoc, ut possimus
 consolari

2. Cor: 1.

consolari eos, qui sunt in quavis afflictione, per consolationem, qua nos ipsos consolatur Deus. Quoniam sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Et mox, Nolumus uos ignorare, de afflictione nostra, quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum grauati fuimus supra uires, adeo ut desperaurimus etiam de uita, &c. Sic & David ait: Multæ tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberat eos Dominus. Quare incumbamus in hanc curam, ut simus in societate David: hoc est, ut simus membra Christi & ecclesiæ eius per fidem. Sic enim certò fiet, ut si multæ contingunt nobis afflictiones terrenæ, multæ etiam contingant nobis consolationes cœlestes.

20 Num adhæret tibi cathedra prauitatis, quæ instituit laborem super præceptum?

21 Irruunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnant.

22 Sed Dominus est refugium meum, & Deus meus, petra spei meæ.

23 Et reddet illis dolorem, quem ipsi alijs inferunt: & disperdet eos afflictione, quam alijs cogitant: disperdet

ſperdet illos, inquam, Dominus
Deus noſter.

Redit ad narrationem impietatis & crudeli-
tatis hoſtium ſuorum, ut concludat tandem ſe di-
uinitus ſeruari & liberari, impios autem perpe-
tuò interire. Num adheret, inquit, tibi ca-
thedra prauitatis, quæ inſtituit laborẽ ſuper præ-
ceptum? Iterum figurat ſermonem ſuum inter-
rogatione, ut faciat eum uehementiorem. Cathe-
dra prauitatis fingens, uel inſtituens laborem ſu-
per præceptum, eſt ſedes, ut uocant, doctoralis,
in qua deprauatur & peruertitur uerbum Dei,
& docetur pro uerbo Dei humanae traditiones.
Fingere enim laborem ſuper præceptum ſeu ſta-
tutum, eſt prætextu diuini præcepti multos, dif-
ficiles, moleſtos & laborioſos cultus Dei inſtitu-
re, et eos ſtatutis Dei addere, imò hominibus, tan-
quam uera Dei ſtatuta obtrudere: ex quibus con-
ſcientia non redditur tranquilla, ſed ut Paulus lo-
quitur, cauteriata, ut concipiat metum, ubi non
erat metuendum. Poſſet & ſic legi, Fingens, ſeu
inſtituens laborem contra præceptum: hoc eſt,
inſtituens ſacra contra uerbum Dei. Omnino e-
nim hic fit ſermo de inſtitutione humanarũ tra-
ditionum, aut ſacrorum cultuũ, qui humana pris-
dentia confinguntur. Nam impij hyprocrite ſo-
lent

*cathedra
prauitatis.*

De Sacrificiis. Hom. 3.

62

lent instituere sacros cultus Dei, prae-textu quidem uerbi seu praecepti Dei, sed confictos humana prudentia, & quorum usus est aduersus uerbum ac praeceptum Dei. Exempli gratia, Sacrificare aut adolere incensum Deo, fuit in Mo-se statutum uerbi Dei, quemadmodum liber Leuiticus testatur. Impij igitur agnouerunt hoc statutum Dei, & addiderunt suam traditionem. Instituerunt enim, ut in gloriam nominis Dei sacrificaretur in excelsis, in nemoribus, & sub omni ligno, ut scriptura loquitur, frondoso. Haec traditio, uidetur quidem ex uerbo Dei sumpta esse, sed est instituta contra uerbum Dei, & cedit in impium abusum. Primum enim manifestum extabat uerbum Domini Deuter. 12. Non offeras holocausta in omni loco, sed in eo quem Dominus Deus tuus elegerit. Et, Non addas quicquam, nec minuas. Non declines nec ad dextram, nec ad sinistram. Deinde hic cultus in excelsis erat occasio deserendi ueri & legitimi cultus, lege Domini in templo instituti. Postremo sentiebant hypocritae hunc cultum esse uerè expiationem peccatorum suorum. Itaque, quod pertinebat ad solum sacrificium seminis Abrahæ, hoc est, Iesu Christi, hoc impiè transferebatur in sacrificia excelsorum. Quare haec traditio, etsi uidebatur instituta ex uerbo Dei, ad gloriam

Exod. 30 et

Leuit. 16.

Deut. 12.

riam nominis Dei: tamen rectè considerata, de-
 prehenditur uerè impia, & contra uerbum
 Dei conficta. *Leuit. 11.* *17.* *18.* *19.* *20.* *21.* *22.* *23.* *24.* *25.* *26.* *27.* *28.* *29.* *30.* *31.* *32.* *33.* *34.* *35.* *36.* *37.* *38.* *39.* *40.* *41.* *42.* *43.* *44.* *45.* *46.* *47.* *48.* *49.* *50.* *51.* *52.* *53.* *54.* *55.* *56.* *57.* *58.* *59.* *60.* *61.* *62.* *63.* *64.* *65.* *66.* *67.* *68.* *69.* *70.* *71.* *72.* *73.* *74.* *75.* *76.* *77.* *78.* *79.* *80.* *81.* *82.* *83.* *84.* *85.* *86.* *87.* *88.* *89.* *90.* *91.* *92.* *93.* *94.* *95.* *96.* *97.* *98.* *99.* *100.*
 Aiud. Verbum Dei est: Sancti
 seu mundi estote, quia ego sanctus sum, dicit
 Dominus. Et, Mundamini, qui fertis uasa
 Domini. *Esa: 52.* Ex hoc & alijs id genus statutis Dei
 nata est traditio pharisaica, quæ extat Mat-
 thæi decimoquinto, de lauatione manuum, ante
 esum panis. Et Matthæi uigesimotertio, de laua-
 tionibus poculorum & patinarum. Hæc tra-
 ditio uidetur per se non solum tolerabilis, sed e-
 tiam uerbo Dei de sanctitate & munditie con-
 sentanea. Sed profectò pugnat cum uerbo Dei.
 Primum enim obscurat ueros Dei cultus, tradi-
 tos uerbo Dei, de uera & spiritali munditie,
 ut homines decepti & occupati externa huius
 operis specie, sectentur corporalem tantum
 munditiam, & ueram ac spiritaliam negligant.
 adeo' que fieri solet, quod Christus ex Esaia
 concionatur: Appropinquat mihi populus
 hic ore suo, & labijs me honorat, cor autem
 eorum procul abest à me: sed frustra colunt me,
 docentes doctrinas, præcepta hominum. Dein-
 de hæc traditio, dat occasionem, ut non solum spi-
 ritualis mundities negligatur, uerumetiã ut ista
 corporalis habeatur pro uera, legitima, & co-
 ram Deo sufficienti ac perfecta sanctificatione.
 Hæc

Esa: 29.
Matth: 15.

Hæc est manifesta impietas, constans sumptu & labore, & conscientiam magis turbans, quam coram Deo pacificans. Aliud. Statutum Dei est, orandum esse. Orate, inquit, ne intretis in tentationem. Et, Oportet semper orare, nec defatigari. Hinc nata est traditio de oratione seu precibus horarum canonicarum, in monasterijs, & collegijs sacrificulorum. Nihil nunc dicam de impijs precibus, et mendacibus legendis, quæ his horis canonicis, de inuocatione mortuorum admixtæ sunt: sed loquor tantum de ijs, in quibus omnes Psalmi, lectiones et oratiões e scriptura sumptæ sunt. Habet igitur hæc traditio magnam speciem, perinde ac si esset sacratissimus Dei cultus, & uerbo Domini approbatus: sed ut constat magno sumptu & labore, ita pugnat uerè cum uerbo Dei. Primum enim uerbum Dei non alligat preces ad certum tempus, sed uult eas quouis tempore libere obseruari. Hæc autem traditio alligat preces ad certum tempus, & dicit neglectiõnem earum in tempore suo definito esse peccatũ mortale. Pugnat igitur cum uerbo Dei, quod Paulus concionatur, in libertate, inquit, qua Christus uos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Deinde lectio sacræ scripturæ, Psalmi, & preces, sunt diuinitus in hunc usum instituta, ut ex his erudiamur ad timorem

Matth: 26.

10: 18.

al: 5.

timorem Dei, ad fidem in Christum, ad caritatē,
 ad patientiam, & ad reliquas uirtutes. Traditio
 autem de septem horis canonicis non hoc agit,
 ut erudiamur in his ueris cultibus Dei, sed exigit
 opus ipsum pro cultu: & iudicat sibi satisfactum,
 si uerba, quamuis nec à recitatore, nec ab audito
 re intellecta, commemorentur. Cum igitur hic
 cultus non sit hoc modo diuinitus institutus, sed
 ab hominibus excogitatus, pertinet ad illum or=
 dinem cultuum, de quibus Christus ait: Frustra
 me colunt, docentes doctrinas, præcepta homi=
 num. Postremò cultus horarum canonicarum,
 usurpari solet pro expiatione peccatorū coram
 Deo, & pro salute humani generis. Institutores
 enim harum horarum perspicuè profitentur, se
 hunc cultum instituere pro salute et redemptio=
 ne animarum suarum, & omnium suorum ami=
 corum. Hæc autem est impietas, pugnans cum
 fide in Christum, qua sola propter Christum con=
 sequimur remissionem peccatorum, & salutem
 animarum. Quare cultus horarū canonicarum,
 est contumelia nominis Dei, tantum abest, ut sit
 gloria eius. Aliud, Statutum seu institutio Chri=
 sti filij Dei est, cœna Dominica: & diuinitus com=
 mendata nobis sunt oratio Dominica, & lectio
 sacræ scripturæ. Ex his conflata est per humanā
 traditionem Missa Papistica. Etsi enim initio
 e Missa

Missa non constabat tot partibus, & erat quoque
 libera ordinatio, qua sanctificaretur & dispen-
 saretur cœna Domini, in ecclesia: postea tamen
 à pontificibus ita aucta & inuersa est, ut tandem
 nasceretur hoc opus, quod in Papistica ecclesia
 summum & sacratissimum habetur: nec mane-
 ret amplius cœna Dominica, hoc est, sacramen-
 tum, quod ecclesie ad cõfirmendam fidem suam
 dispensaretur: sed fieret sacrificium, quod Deo
 exhiberetur, & quo meritum passionis Christi,
 singulis iuxta arbitriũ sacrificuli applicaretur,
 adeoque esset sacrificium pro peccatis uiuorum et
 mortuorum. Hic est autem impius abusus cœnæ
 Dominicæ, & lectionis sacre scripturæ atque pre-
 cationum. Quanquam enim cœna Dominica ser-
 uanda est cum gratiarũ actione, ideoque dici pos-
 sit sacrificium laudis, sicut alia bona opera: ta-
 men non est instituta à Christo, ut oblatione cor-
 poris Christi, quæ fiat Deo à priuato sacrificu-
 lo: sed ut dispensatione, quæ fiat à publico eccle-
 siæ ministro: & sumptione, quæ fiat ab unoquo-
 uis pio, seu membro ecclesie, applicetur ei me-
 ritum Christi, & accipiatur ab eo per fidem. Ap-
 plicatio enim meriti Christi non fit oblatione Pa-
 pisticorum sacrificulorum, sed fit prædicatione
 Euangelij de Christo, et dispensatione sacramen-
 torũ, quæ per fidem accepta, afferunt remissionẽ
 peccato-

ragisra

exiti chrij
plicatio

peccatorū, & uitā eternā, propter Iesum Christum Dominū nostrum. Ite, inquit, in uniuersum orbē, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptizatus fuerit, saluus erit. Et, Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et, Accipite, edite, hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes. Quare cum Missa Papistica, nec sit prædicatio Euangelij, nec dispensatio cœnæ Dominicæ, sed oblatio à sacrificulis conficta, non conuenit cum institutione Christi, seu uerbo Dei. nec confirmat fidē, sed pugnat cum uerbo Dei, & abducit à uera fide in idolatriam. Primū enim, manifestum est, quòd opus Missæ Papisticæ non sit institutum à Christo, sed consutū à pontificibus, ex multis partibus. Hoc igitur opus, est cultus humana traditione excogitatus, & pertinet ad eum ordinem sacrorum, de quibus Christus ait: Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Deinde, in Missa Papistica, non fit dispensatio, sicut Christus instituit: sed fit oblatio corporis & sanguinis Christi, quod Christus non instituit, sicut paulo antè diximus. Postremò, cum opus Missæ habeatur pro organo, quo applicetur meritum Christi uiuis & mortuis, obscurat, ac etiā, quantum in ipso est, tollit ex ecclesia prædicationem Euangelij Christi, et dispensationē ac sumptionē

Rom.

Missæ papisticæ est uoluntaria

cœna Dominicæ, quibus uerè fit applicatio me-
 riti Christi. Obscurare autem, uel tollere hæc ex
 ecclesia Christi, est impium esse in Christum, &
 conari opprimere ac delere ecclesiam Christi.
 Quare nihil unquam magis impium in ecclesia
 Dei usurpatum est, quàm traditio & obserua-
 tio Missæ Papisticæ. Possẽm id genus multas
 alias traditiones commemorare. Sed hæc nunc
 exempli gratia sufficiant. Talibus igitur huma-
 nis traditionibus & doctrinis Psalmus noster tri-
 buit tres memorabiles cõditiones. Vna est, quòd
 uocet eas cathedram prauitatis: hoc est, doctrinã
 deprauantẽ & peruertentem uerbũ Dei, quem-
 admodum exemplis iam demonstratum est. Se-
 cunda, quòd uocet eas laborem, quia sacri cultus
 humanis traditionibus instituti, non solum con-
 stant magno sumptu & labore: sed etiã asserunt
 conscientie molestias, dum ea maiorem dubita-
 tionem de clementia Dei post se relinquunt, quo
 diligentius & sollicitius peraguntur. Tertia,
 quòd institutores & tutores harum traditionũ
 sunt uiri sanguinum & homicidæ. Irruunt, in-
 quit, seu ut Hebræus propriè habet, Accingunt
 se ad prælium, colligunt exercitum aduersus ani-
 mam iusti, & condemnant innocentes tanquam
 impios. Quos enim cultus impij hypocritæ exco-
 gitant & instituunt, eos etiam armis defendunt.

& res

in quadrat ps. 10. Dignu dicitur
 iust, hom. fin. blagen

& reprehensores tanquam impios trucidant. Exempla habes in regibus, pontificibus, & sacrificulis Israelitarum, erga prophetas, in principibus Persarum erga Danielem, in Phariseis erga Christum & Apostolos: & hoc tempore, in pontificibus ac satellitibus eorum, ac tutoribus Papisticarum Missarum, erga eos qui Euangelion Christi sinceriter in ecclesia docēt. Cum enim ab initio satan sit mendax & homicida, fieri nō potest, quin quos mendacijs impietatum suarum captiuos tenet, faciat etiam ex ipsis uiros sanguinū & homicidas. Sed ecce mihi rem mirandam. Etsi enim institutores & tutores humanarum traditionum ac impietatum, sunt mendaces & homicidæ, seu ut scriptura loquitur, dolosi & uiri sanguinum, ideoq; grauissimè aduersus Deum peccant: tamen in institutis suis sunt adeò fœlices, ut uideantur Deo, tanquam consociati, adhærere: & habeantur non solum populus seu ecclesia Dei, uerumetiam summa capita & principes ecclesiæ. Et contrà, uerè pij sunt adeò infœlices, ut uideantur prorsus à Deo abiecti, & indigni, quos terra ferat. Quid ergo dicemus? Num, quemadmodum in oculis hominum impij uidentur Deo adhærere, & cum Deo coniuncti, pij autem à Deo abiecti, & damnati esse, sic etiam uidentur in oculis Dei? Nihil minus. Nunquid ad-
 e 3 hæret,

conclusio
stium
mentum
biectio

haeret, inquit, tibi cathedra prauitatis? Non cer-
 te adheret. Sed ego potius adhaereo Domino,
 illi autem sunt abiecti. Dominus enim meum est
 refugium, & Deus meus, petra spei meae. In ter-
 ris non patet mihi ullum asylum, ad quod in tan-
 tis aduersis me tuto recipiam. Ad coelum igitur
 propero, ibi Dominus est mihi tutissimum asy-
 lum, refugium & praesidium. In terris, nullam in-
 uenio petram, in qua consistam: nullam arcem,
 in quam tuto me in tantis periculis conseram. In
 coelum igitur conscendo. Ibi inuenio Dominum,
 petram & arcem, qua & confidere, & perpe-
 tuo conseruari possum. Sic & Psalm. 17. dicitur:
 Diligo te Domine, fortitudo mea, Dominus fir-
 mamentum meum, & refugium meum, & libe-
 rator meus. Deus meus, adiutor meus, & spera-
 bo in eu. Protector meus, & cornu salutis meae,
 & susceptor meus. Significat autem Dauid his epi-
 thetis, quae tribuit Domino Deo nostro, quod
 speret Dominum Deum non solum mitigaturum
 aduersa sua: uerumetiam liberaturum ipsum ab
 omnibus aduersis, ut fruatur perpetua foelicitate.
 Sed facile, inquis, fuit Dauidi profiteri Do-
 minum esse refugium suum, & petram, qua con-
 fidat, propterea quod Dauid fuit rex Deo acce-
 ptissimus, & propheta spiritus sancto ornatus.
 Ego uero sum homo miserrimus, nullo insigni
 uel

uel corporali, uel spiritali dono illustris. Et præ-
 terea conscius mihi sum plurimorum & maxi-
 morum peccatorum. Quomodo igitur possum
 ad Dominum, tanquam ad refugium, ad asylum,
 & ad petrã meam confugere? Aut quid faciam
 ut possim de Deo, idem quod David, ex animo
 mihi polliceri? Sic humanus animus naturaliter
 dubitat de clemētia Dei, quòd etsi concedit, Deũ
 alijs hominibus, quos uidet magnis donis insigni-
 tos, propitium esse: negat tamen se ipsum, tam
 multis miserijs deformatum, Deo curæ esse. Hoc
 inde adeò accidit, quòd homines non rectè sen-
 tiunt de Deo, & clementia eius: sed existimant
 eum in electione hominum, esse respectorem per-
 sonarum & meritorum. Quare diligenter
 perpendendum est, quæ sit uera salutis nostræ
 ratio, ut huic dubitationi medeamur. In initio enim
non est sentiendum, quòd inter homines, alter sit
natura sua altero coram Deo iustior et sanctior.
 Vniuersum enim humanũ genus, ab Adamo pro-
 pagatum, una est massa, peccato sic fermentata,
 ut singuli homines æqualis sint coram Deo cor-
 ruptionis & condemnationis. Non enim minus
 peccati Iacob quàm Esau, David quàm Saul, Pe-
 trus quàm Iudas, in sui conceptione ab Adamo,
 quasi hereditate suscepit. In conspectu tuo, in-
 quit Psalmus, non iustificatur omnis uiuens. Et,

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine
 quis sustinebit? Et, Omnis homo mendax. Item,
 Omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum,
 non est usq; ad unum. Et Paulus, Propter unum
 hominem peccatum in mundum introijt. Et, Per
 unius delictum propagatum est malum in om-
 nes homines ad condemnationem. Ac rursus,
 Erasmus natura filij iræ. Quare Deum fuisse re-
fugium Dauidis, & petram spei eius, non ex eo
 uenit, quòd Dauid fuerit naturaliter sanctior aut
 iustior alijs hominibus. Deinde, Promissio de
 Christo filio Dei, expiatore peccatorum, & re-
 conciliatore humani generis, ac seruatore, nõ est
 uni tantum homini, aut uni tantum genti pro-
 posita, sed pertinet ad omnes gētes & homines.
 Etsi enim singulariter promissum fuit Dauidi,
 quòd ex ipsius familia Christus esset nasciturus,
 tamē beneficia Christi pertinent ex æquo ad om-
 nes homines, inter quos is accipit beneficia Chri-
 sti, & fruitur eis, non qui hoc meretur proprijs
 suis uirtutibus, sed qui accipit Christum per fi-
 dem. In semine tuo, inquit, benedicentur omnes
gentes. Et, Quotquot receperunt eum, dedit eis
potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in no-
men eius. Et, Huic omnes prophetae testimonium
 ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat
 per nomen eius, quisquis credit in eū. Et, Omnis,
 qui

gen. 23.
 Ioh. 1.

qui fedit illi, nō pudeſiet. Non enim eſt diſtinctio
 uel Iudæi, uel Græci. Nam idē Dominus omnium,
 diues in omnes inuocantes ſe. Quare qui uerē
 credit in Chriſtum, non minus acceptus eſt Deo,
 & reputatur coram eo iuſtus propter Chriſtū,
 quā David acceptus & reputatus fuit. Sed
 David, inquit, multa bona opera fecit. Rectē.
 idem et nobis faciendum eſt, ut Chriſtum per fi-
 dem acceptum retineamus, & Deo gratos nos
 pro beneficijs ſuis exhibeamus. Ac ſi peccaueri-
 mus, reſiſcendum eſt. Non enim bene conueni-
 unt, nec in una ſede morantur, regnū Chriſti, &
 regnum peccati. Bona autem opera Davidis,
 non fuerunt ea merita, propter quæ coram Deo
 iuſtus reputatus eſt, & propter quæ Deus fuit
 refugium, & petra ſpei eius. quia etſi David fe-
 cit multa bona opera, ex uerbo Domini, tamen
 habuit adhuc multum peccati in carne, propter
 quod bona eius opera fuerūt uitiata. & designa-
 uit etiam multa horrenda peccata, externis fa-
 ctis. Propter quæ omnia neceſſe habuit, ad ſolam
 clementiam Dei in Chriſto promiſſam, fide ſua
 confugere, & per fidem, ex ſolo Chriſto, iuſtitiam
 & ſalutem reportare. Vnde in alio Pſalmo pro-
 uocat omnes homines, ſuo ipſius exemplo, ad ſpē
 & inuocationem. Exquiſiui, inquit, Dominū,
 & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus
 e s meis

Alia obiectio

ps 33



meis eripuit me. Accedite ad eum, et illuminamini, & facies uestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. quasi dicat: Ego meo exemplo iubeo omnes homines bene sperare, & Deum ex fide inuocare, quia ego eram hominum miserrimus, & peccatorum maximus. Cum autem inuocarem Deum ex fide, non meorum meritorum, quorum nulla mihi erant, sed misericordie in Christo promissæ, exaudiuit me. Quomodo igitur non exaudiret alios, similiter Deum ex fide inuocantes? Et Iacobus ait: Orate pro uobis inuicem, ut sani sitis. Multum enim ualet deprecatio iusti efficax. Elias homo erat similiter obnoxius affectionibus ut nos, & precatus est, &c. Et Paulus, Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum. Sed in me primò exhibuit omnem clementiam in exemplum, &c. Quare si agnitis peccatis uerè in Christum credimus, & uocationi Dei ex fide seruimus, non minus, quàm Dauidis, erit Dominus Deus, refugium nostrum, & petra spei nostræ, ad quæ nos in omnibus aduersis, fide & inuocatione nostra, propter Christum tutò conseramus. Atq; hæc quidem de Dauidis et omnium piorum salute. Quid autem fiet de impijs? Reddet illis, inquit, dolorem seu luctum,

deprecatio
iusti.

1. Tim. 1.

Impijs.

luctum, quē alijs solent inferre: & disperdet eos afflictione, quam alijs cogitant: disperdet illos, inquam, Dominus Deus noster. Hoc est non tam perspicuum, quān horrible iudicium aduersus impios latum. Sunt aliquandiu foelices, & nō cogitant, nisi piorum internecionem. sed temporalis illa foelicitas cedit ipsis in aeternam infelicitatem: & quod alijs malum cogitant, hoc ipsis diuinitus infertur. Disperdet, inquit, eos afflictione. Et ne quis dubitet de firmitate & certitudine huius iudicij, repetit idem secundò, Disperdet illos Dominus Deus noster. Homines sunt partim impotentiores, partim remissiores, quān quòd possint aut uelint satis supplicij inferre impijs. Dominus igitur Deus noster, qui est & omnipotens, & seuerissimus impietatis ultor, ipse inferret impijs supplicium: idq; haudquaquā momentaneum, sed perpetuum. Hac sententia aduersus impios lata, sepe in scriptura, ac praesertim in Psalmis repetitur. Ecce, inquit Psalmus, parturit iniustitiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aparuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in uerticem eius iniquitas ipsius descendet. Et iterum, Iniusti disperibunt, similiter reliquiae impiorum interibunt. Ac rursus, Virum sanguinum & dolosum abominabitur

Ps. 7

Ps. 36

tue

ps: 54
 impij exaltati
 grauiori
 puniuntur.

fur Dominus. Et aliàs, Tu deduces eos in puteis
 interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidia
 bunt dies suos. Cum igitur hoc sit certissimum iu
 dicium impiorũ, cur offensus eorum foelicitate,
 abnegares uerbi Dei ueritatẽ, & deficeres à pie
 tate ad impietatem? Docet scriptura aliàs, im
 pios exaltari, non quòd iustam habeant causam,
 sed ut grauiori casu ruant. Deiecisti eos, inquit
 alius Psalmus, dum alleuarentur. An' non & fur
 è cruce suspendendus, in altum ducitur? Ducitur
 autem in altum, non ut commendetur ob iusti
 tiam, sed ut ex laqueo deiciatur propter iniusti
 tiam. Sic & impij glorificantur in hac terra, nõ
 quòd impietas approbetur, sed ut propter impie
 tatem eterna ignominia afficiantur. Hieremias
 dicit, Impios congregari seu saginari ad uictimã
 uel occisionem. Nam quemadmodum patres fa
 milias saginant porcos, non quòd delectentur ui
 ta huius tam immundæ bestia, sed ut præparent
 eos lano ad occisionem, & ad cibum familia: ita
 Deus saginat impios multa foelicitate huius secu
 li, non quòd delectetur impietate eorum, sed ut
 tradantur satanæ dilaniandi, & perpetuò ma
 ctandi. Fugiamus igitur impietatem, ut & iudi
 cium eius euadamus. Sectemur autem pietatẽ,
 ut Dominus sit refugium nostrum, & petra spei
 nostræ. Habes qualem cunq; Psalmi huius expli
 cationem.

éationem. Reliquum nunc est, ut hunc Psalmum
 toto pectore complectamur. Multa continentur
 in eo obseruatu dignissima. Sed hoc insigne est,
 quod ait: Beatus uir, quem tu erudieris, & docu-
 eris de lege tua, ut capiat tranquillitatem seu mi-
 tigationem à diebus malis, donec fodiatur impio
 fouea. Et mox, Donec iustitia conuertat iudiciū.
 Et post hoc, Omnes recti corde exultabunt. Do-
 cet enim pios affligi quidem in hoc seculo, sed
 Deū præcipue duo promittere. Alterum, quòd
 uelit piorum afflictiones, dum adhuc præsentis
 sunt, & sentiuntur, mitigare, ac euentum dare,
 ut ferri queant. Alterum, quòd uelit postremo
 afflictiones omnino à pijs tollere, & ita eos libe-
 rare, ut nullam in æternum amplius sentiant af-
 flictionē, sed fruantur perpetua fœlicitate. Quid
 ergo nunc habes, quod conqueraris? Quid ha-
 bes, quod metuas? & ad quod cohorrescas? Si
 propter piæ doctrinæ professionem, quæ nõ tam
 uerbis, quàm factis fieri debet, imminent aduer-
 sa, nullum, si uelis, accipies incommodum. Aut
 enim, diuina clementia, non accident: aut, si ac-
 ciderint, certissima est primùm quidem mitiga-
 tio, ut ferre queas: deinde etiam liberatio, ut per
 leuem & momentaneam afflictionem consequa-
 ris æternum pondus gloriæ. Hæc tibi Dauid, &
 rex, & propheta, legatione Dei fungens, in hoc
 Psalmo

Psalmo adnunciat. Si captiuus esses, & accederet ad te potentissimus quispiam princeps, qui nō solum institueret tecum colloquium, uerum etiam polliceretur clementissimē, ac fidem quoque daret, se effecturum, ut statim mitigetur captiuitas, & paulo post captiuitate omnino libereris, quantum consolationis acciperes? quantum animo gestires? Et tamen humana promissio fallere potest. Nunc autem, en accedit, hoc Psalmo, ad te afflictum, non uulgaris quispiam princeps, sed rex: non profanus quispiam homo, sed propheta: qui non affert humana quaedam somnia, sed diuina oracula: & plenus spiritu sancto promittit tibi, nomine Dei, auxilium in aduersis, & liberationem ex aduersis. Quid ergo adhuc sollicitus es? quid tibi adhuc deesse conquereris? Beatos iudicamus patriarchas & prophetas, quōd habuerint collocutores angelos. Beatam dicimus Mariam uirginē, quōd dignata sit colloquio archangeli Gabrielis. Beatos pastores, quōd audiuerint angelos natiuitatem Christi adnunciare. Ac profectō, non est mediocris pars beatitudinis, mutua habere cum angelis, spiritibus tam sanctis, colloquia. At quoties sumis in manus hunc aut alium Dauidis Psalmum, toties sentias ad te accedere, & tecum colloquium instituire Dauidem, qui tanto maior est angelis, quanto

quanto

Davidis Psalterium
 quanto administratorij spiritus minores sunt ijs,
 propter quos in ministerium emittuntur. Et ut
 aliquid amplius dicam : Si angeli te accederent,
 & aliud tibi, quàm David in hoc Psalmo, adnũ-
 ciarent, habendi essent pro anathemate, tantum
 abest, ut essent audiendi. Quanto igitur præstat
 colloquium Davidis, colloquio angelorum? Ma-
 gna est hominum, curiositas ne dicam, an incre-
 dulitas. Parum fidei habet homini adhuc coram
 in carne existenti, et de cœlestibus rebus differen-
 ti. Heus tu, inquiunt, quando descendisti de cœlo?
 Cupiunt, quod diues in tormentis tartari ab A-
 brahamo petit, ut Lazarum ad fratres suos mit-
 tat. Si quis, inquiens, ex mortuis ierit ad eos, res-
 picient. Sed huic curiositati medetur spiritus san-
 ctus, cum dat nobis in manus Psalterium Davi-
 dis. Quoties enim suscipis Psalmum Davidis le-
 gendum, toties uenit ad te David ex mortuis,
 imò ex sinu Abrahamæ, imò ex sinu Christi, & ad-
 nũciat tibi, quæ Deus te scire, cognoscere & cer-
 tissimè credere uoluerit. Quòd si Dauidi sic ue-
 nienti non adhibes fidem, certè nullam adhibe-
 res fidem, etiamsi totus angelorum, patriarcha-
 rum, prophetarum, & Apostolorum cœtus tibi
 coram concionaretur. Putas ne, sine singulari
 Dei cura & prouidentia factum esse, quòd Psal-
 mi Davidis tot annis conseruati, & ad nos usq;
 propa-

propagati sint? Numerantur iam à Dauidè
 plusquam duo millia annorum, & quingenti, ex
 quo spiritus sanctus Dauidem ad tradendos po=
 steritati Psalmos suos excitauit. Et hi conseruati
 sunt, tãto tempore, tot eluuiõibus, tot bellis, tot
 incendijs, tot rerum omnium in terra mutationi
 bus. Nullum ædificium, nullum regnũ, nulla mo=
 narchia tot annis in terra constitit. Omnia hæc
 fuerunt, nõ mutationi tantum, uerumetiam in=
 terneccioni obnoxia. Psalmi autem Dauidis in
 tot ac tam uarijs humanarum rerum casibus re=
 liqui & salui manserunt. Quod certè argumen=
 tum est haudquaquam obscurum, hunc Dauidi=
 corum Psalmorum librum singulari consilio spi=
 ritus sancti nobis traditum & commendatũ esse,
 ut uoluntatem Dei ex eo perspicuè percipere=
 mus. An non Petrus, cum iam recens spiritu=
 sancto donatus esset, ad Psalmos Dauidis, in pri=
 ma sua concione properat? & è Psalmo Dau=
 idis testimonium resurrectionis Christi allegat?
 Quid? Christus ipse filius Dei, postquam resur=
 rexisset à mortuis, etsi erat in gloria & maiesta=
 te patris sui, suscipit tamen Psalmos Dauidis in=
 terpretandos, quemadmodum Lucas testatur.
 Hoc est luculentum testimonium, Dauidem af=
 ferre nobis coelestem doctrinam, & colloquium
 eius, quod nobiscum in Psalmis suis instituit, esse
 uerè

uerè diuinum oraculum. Quare, si in afflictione,
aut alijs reb. tenemur desiderio cognoscendæ uo-
luntatis Dei erga nos, nō est nobis opus, ut ascen-
damus in cœlum, aut curramus trans mare, sed
prope nos, in manibus nostris sunt Psalmi Dau-
dis. Hos amemus, hos legamus, in his dies no-
ctesq; meditemur. Quod cum faciendum suscepe-
rimus, nō ignaui stertamus, sed expergiscamur,
& circumspiciamus. Non soli sumus, cum Dau-
dis Psalmum recitamus, sed accedit ad nos in con-
clauē nostrum Dauid, rex regia maiestate orna-
tus, & propheta spiritus sancto comitatus. Quod
si angeli, quos certò sciremus esse angelos, nos
accederent, & nobiscū colloquium instituerent,
quanta, quæso, ueneratione, quanta fide, uerba
eorum exciperemus? Sed hoc officiū multo ma-
gis debemus Dauidi, quod filius ipse Dei non re-
miserit nos ad nouas angelorum apparitiones,
sed ad ueteres Dauidis Psalmos intelligendos, &
commemorandos, ut ex ipsis & uoluntatem Dei
cognoscamus, & fidem nostram, qua &
iustificamur & seruamur, confir-
memus. Amen.

f EXPLI

EXPLICATIO PSALMI CENTESIMITRICESIMI, De profundis, &c.



Icemus initio de titulo huius Psalms. Alij enim Psalms, alios habent titulos. Hic autem inter eos numeratur, quorum titulus est, Psalms **המעלה**, hoc est, ut nostri interpretantur, graduum, & alij, Ascensionum: sed rectius completionum seu conclusionum. Sentiunt enim nonnulli, quod quemadmodum nostra publica sacra concludi solent prece diuinae benedictionis, ita solenne fuerit in ecclesia Israelitarum sacra hoc genere Psalmorum complere seu concludere. Nam **עלה** non tantum significat ascendere, sed etiam finire & absumere. Vnde & holocaustum Hebraeis dicitur **עולה**, quod totum igni absumatur. Sic & hi Psalms uocantur Psalms **המעלה**, qui fuerint conclusiones, quibus Israelitica sacra finiebantur. Ac profecto uidentur ad talem usum aptissimi esse. Sunt enim & perbreues, & argumentis suis ita graues, ut merito, tanquam **ἐπιφωρύματα**, ad finem sacrorum adiecti fuerint. Sed de titulo satis.

Occasio autem, & argumentum huius Psalms, quem interpretandum suscepimus, praecipue nobis

similis

Num. 6.

Occasio &
argumentum.

nobis curæ esse debent. Sunt nonnulli Psalmi, quorum titulus exponit occasionem & argumentum eorum. In hoc autem Psalmo, prima dictio, videlicet de profundis, satis perspicue indicat, qua occasione David ad hanc preceationem excitatus fuerit. Est enim Psalmus precatorius, & cum David statim ab initio, suspirijs ex alto pectore ductis exclamat, De profundis, dubium non est, quin cum hæc oraret, prostratus & obrutus fuerit maximis ac horribilibus afflictionibus, non tantum corporalibus, uerum etiã spiritualibus. Nam si cui libet, uitam Davidis, uel breuiter tantum percurrere, tot ac tanta inueniet aduersa, quibus obiectus fuit, ut mirum sit, unum hominem potuisse tantis malis, tanto tempore sufficere. Nihil dicam de ijs malis, quæ in priuata uita, cum adhuc in domo patris sui esset, perpessus est. Attingam tantum paucissimis ea quæ contigerunt ipsi, in aula Saulis, in exilio, ac in regno quoq; cum ipse iam rerum in Israel potiretur. Nunc Philistinis maectandus obijcitur, nunc à furioso Saule lancea petitur. Nunc exulat ab aula, & quæritur ubiq; ad mortem. Nunc uagatur desertus, & omnium rerum indigens, inter alienos. Nunc capitur ab hostibus. Nunc in medio exercitus Saulis ita concluditur, ut nusquam pateat ulla euadendi uia. Nunc trucidantur tot innocentes sacerdo-

psalmus precatorius est

Extrema & periculosissima est

tes, & deuastatur ciuitas, quòd ipsum hospitio excepissent. Nunc accusatur non tam à Saule seditionis, quàm à principibus Philistinorum, proditoris. Nunc ab ipsis etiam amicis, non solum proditor, uerumetiam lapidibus obruendus apprehenditur. Breuiter, crucifigunt eum & amici & inimici. Quid uerò dicam de aduersis, quibus iam regnum adeptus affligitur, nunc à seditionis, nunc à liberorum suorum stupris & homicidijs, nunc à filio suo Absolome, à quo etiam è regno pellitur? Quid pluribus opus? Vix inuenias alium uirum, qui tot calamitatibus obiectus fuerit. Et singula harum calamitatum, singulae sunt profundissimae foueae, ut qui in unam earum coniectus sit, & pro auxilio uociferetur, rectè dicatur de profundis clamare. Inter has autem externas & corporales calamitates, putas ne animù Dauidis tranquillum & securum fuisse, ac non tentatum esse de iudicio Dei propter peccata? Imò, haec sunt praecipua causa, cur Dauid se de profundis clamare profiteatur. Etsi enim uariae sunt causae, propter quas immittuntur nobis afflictiones, tamen haec una est è praecipuis, ut afflictiones admoneant nos peccati, & ostendant iram Dei propter peccatum. Stipendium, inquit, peccati, mors est. Vbi igitur mortem, aut pedissequas eius, afflictiones inuenias, ibi peccatum sit, necesse

*Calamitates
inueniuntur.*

*causa affli-
ctionis.*

Rom. 6.

Afflictiones sunt Mortis pedissequae. est.

est. Aliud est, quòd filius Dei, etsi nullum unquã peccatum fecit, nec inuētus est dolus in ore eius, afflictus tamen sit, & mortuus. Aliud etiam est, quòd Deus aliquoties longè alijs de causis, quàm propter peccata, affligat homines. Neq; hic, inquit, neq; parentes eius peccauerunt, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Si autem de generali causa afflictionum dicendum fuerit, obscurum esse non potest, quòd afflictiones sint argumenta peccati, & ex peccato oriuntur. Itaq; David externis illis suis afflictionib. excitatus, redijt in animum suum, & uidit initio peccatum, quod à parentibus contraxerat, & quod adhuc carni inhærebat, de quo aliàs dicit: Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Deinde uidit & ea peccata, quæ ex hoc ipse designauerat, et quæ sunt huius fructus. Quid, quòd sollicitatus uidetur, ut existimet eam unctionem, quam à Samuele acceperat, & propter quam patiebatur exilium, non esse cœlestē, sed humanam & seditiosam? Si enim diuino mandato, in regem, uiuo adhuc Saule, unctus est, cur Deus obijcit eum propter hanc unctionē tot aduersis? cur exponitur tot periculis? Quàm multum quoque humani sanguinis effudit in bellis? quæ etsi legitima fuerunt, tamen uix fieri potest, quin maiorē exerceas, etiam in bellis iustissimis,

f 3 seui

Ioh. 9

generalis
Afflictionum
causa

ps: 50

seuitiam, & uiolentiam, quàm par sit. Quid dicam de adulterio & homicidio eius? Quid de nimia indulgentia in liberos, in amicos? Innumera sunt, quæ aduersus Deum peccari solent. De his ergo Dauid, per afflictiones admonitus, non potuit aliud præter iram Dei, mortem & infernum uidere, imò non uidere tantum, sed etiã sensu ipso magna ex parte percipere. Hæc est altissima fovea, hic est profundissimus lacus, è quo, qui auxilium Domini inuocat, & liberationem petit, de profundis uerè clamare dicendus est. Quare, quamcunq; Dauidis afflictionem, uel earum quas paulo antè perstrinximus: uel aliarum, quarum multas & magnas, literis non mandatas pertulit, in manus sumpseris, eam sentiendum est occasionem fuisse, qua excitatus fuit ad inuocationem diuinæ opis, & ad precationem huius Psalmi, ut è presenti malo liberationem, ac ueram salutem consequeretur.

Sed hic statim in animũ auditoris subit, quòd etsi Dauid clamauit de profundis, & consecutus est liberationem, tamen exemplum eius non afferat nobis multum utilitatis, nec quicquam fructus reportemus, etiamsi exemplo eius hunc Psalmum recitemus. Nos solemus quidem de profundis clamare, sed nullum affulget nobis auxilium.

Vociferamur de malis nostris, sed nullus est,
qui

qui nobis respondeat. David enim fuit Deo acceptus, ideoq; exauditus. Nos sumus à Deo abiecti. Quare etiamsi noctu diuq; uociferemur de profundis, non tamen patent nobis aures Dei. Hæ sunt cogitationes, quibus satan solet homines ab inuocatione Dei, & precatione auocare, & ad desperationem sollicitare. Sed cor nostrum munendum est uerbo Dei, ut consilia satanæ retundamus. Etenim nihil quidem certius est, quam quòd multi hunc Psalmum recitent, & de profundis clament, non tamen consequantur salutē. hoc autem non fit, uel Psalmi, qui est à spiritu sancto dictatus: uel Dei, ad quem clamatur, sed ipsorum clamantium uitio. Hic eni n Psalmus, nō pertinet ad quemuis hominum coetum, sed tantū ad uerā Domini Dei nostri ecclesiam, & ad singula membra eius. Multi sunt impij, multi hypocritæ, qui ut non uerè in Deum credunt, ita non sunt uera ueræ ecclesiæ Dei membra. Hi clamando ad Deum, non clamant: et inuocando Deum, non inuocant. ideoq; mirum non est, quòd nec exaudiantur, nec salutem consequantur. Oratio eius, inquit, fiat in peccatum. Et aliàs, Inuocabūt me, & non exaudiam: manē consurgent, & non inuenient me. Et iterum: Cum extenderitis manus uestras, auertā oculos meos à uobis: & cum multiplicaueritis orationē, non exaudia. Quare

f 4 impijs

ps: 108.
p̄uor. 1.

psalmi Davidis ad universam ecclesiam &
singula eius membra pertinet.

88

impis, & hypocritis, dum quidem impij & hy-
pocrite fuerint, nihil cum hoc Psalmo. Si quis
autem hunc Psalmum ad se pertinere, et utiliter
orare cupit, necesse habet primum omnium cu-
rare, ut sit in uera Dei ecclesia, & sit uera eccle-
siae membrum. Quid igitur faciam, inquires, ut
hoc consequar? Vno et altero uerbo dicam. Qui
crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Cre-
dendum est, agnitis peccatis, in Christum filium
Dei, quod ipse solus sit expiator peccatorum no-
strorum, & ex hac fide ambulandum est in uoca-
tione Dei. Quod plurib. quidem explicari pos-
set. sed haec in praesentia sufficiunt, ut admonea-
mur, iniustam esse querelam eorum, qui cum nul-
lam habeant rationem uerae fidei in Christum,
ac resipiscentiae in Christo, uociferantur, se cla-
mare quidem de profundis, nullam autem open-
consequi. Omnino enim hic Psalmus ad ecclesiam
tantum, hoc est, ad eos qui Deum ex fide in Chri-
stum inuocant, pertinet. Quod si in horum coetu
(id quod fit per fidem in Christum) fueris, nul-
lum amplius dubium relinquitur, quin quemad-
modum Dauid de profundis clamauit, & exau-
ditus est, ita si tu de profundis clamaueris, uoti
compos efficiaris. Quaecunq;, inquit Paulus,
praescripta sunt, in nostram doctrinam praescri-
pta sunt, ut per patientiam et consolationem scriptu-
rarum

rom: 15.

rarū spem habeamus. Et iterum, Omnis qui fidei
 illi, non pudebit. Non enim est distinctio uel Iu
 daei uel Graeci. Nam idem Dominus omnium, di
 ues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuo
 cauerit nomen Domini, saluus erit. Sed & Da
 uid ipse testatur exemplum suum, non ad suam
 tantum personam, sed ad uniuersam ecclesiam,
 & singula eius membra pertinere. Sic enim ait,
 Magnificate Dominum mecum, & exaltemus
 nomen eius in idipsum. Exquisiui Dominum,
 & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus
 meis eripuit me. Accedite ad eum, & illumina
 ni, & facies uestrae non confundentur. Iste pau
 per clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de
 omnibus tribulationibus eius saluauit eum. hoc
 est: Quod Deus preceptionē meam exaudiuerit,
 & seruauerit me in omnibus aduersis meis, non
 mea tantum causa factum est, sed propter uni
 uersam ecclesiam Dei, ut unusquisq; meo exem
 plo prouocatus, accedat ad Deū, & inuocet no
 men eius. Hoc enim si fecerit, facies eius non con
 fundetur. Quid autem opus est ex alijs Psalmis
 testimonia huius rei petere, cum hic noster Psal
 mus perspicue testetur, se non ad Dauidem tan
 tum, uerumetiam ad omnē Israelem, hoc est, po
 pulum seu ecclesiam Dei pertinere. In fine enim
 additur usus eius. Speret Israel in Dominū, quia
 f s apud

Rom: 10

Ps. 34
v. 3.

apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Vides, quàm manifestè transferat spiritus sanctus beneficium à Davide precatione huius Psalmi impetratum, ad uniuersum Israel. Continet enim hic Psalmus duas partes: prior est precatio Davidis, posterior est aptatio exempli Davidis ad uniuersam ecclesiã Domini. Suscipiamus igitur hunc Psalmum indubitata fide precandum: et cum idem noster sit Christus, qui & Davidis, certò stutuamus, nos eadem quoq; beneficia per Christum filium Dei, unicum seruatores nostrum consecuturos.

Bene igitur uertat, aggrediamur Psalmum ipsum, & percurramus eum qualicunq; expositione nostra, ut fidem confirmemus, & ad thronum gratiæ confidenter accedere audeamus.

DE profundis clamo ad te Domine.

2 Domine exaudi uocem meam, fiant aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.

In his primis duobus uersiculis continetur status & summa huius Psalmi. Precatur enim Dominum, ut seruet ipsum in extremis, quibus obrutus

virtus est malis. De profundis, inquit, uno
 hoc profunditatis uocabulo, quemadmodū pau-
 lo antè admonuimus, magnitudo & multitudo
 malorum, seu afflictionum haud obscure signifi-
 cantur. Nam quemadmodum hi qui uel ruente
 edificio trabibus aut lapidibus ita obruuntur, et
 opprimuntur, ut uix caput leuare queant: uel in
 altissimam foueam cadunt, & in coenum ad bra-
 chia usq; aut collum demerguntur, & miserè cla-
 mant, ut qui possunt, opem oppressis ac demer-
 sis ferant, ex profundo uociferantur: ita & illi
 qui malis uel exilij, uel infamiae, uel inediae, uel
 morbi, uel mortis, uel iudicij peccati, uel inferni
 ingemiscunt, & auxilium inuocant, ex profun-
 do clamare dicuntur. Nec profunditatis tan-
 tum uocabulo magnitudo malorum exprimitur:
 sed sunt multae aliae metaphorae, in sacra scriptu-
 ra, & praesertim in Psalmis, quibus metaphoris
 afflictionum grauitas quasi pingitur. Sagittae
 tuae, inquit, infixae sunt mihi. Et iterum, Infixus
 sum in limo profundi, in quo non est fundum. Ve-
 ni in altitudinem maris, & tempestas demersit
 me. Et paulo antè, Intrauerunt aquae usq; ad ani-
 mam meam. His & id genus alijs metaphoris de-
 scribitur magnitudo calamitatum, quibus homi-
 nes diuino consilio in tentationibus suis obijci so-
 lent. Pone igitur tibi ob oculos, quamcunq; uolue-
 ris afa

Ps 37.
 Ps 68.

ris afflictionem, qua David, qui primus hūc Psal-
mum orauit, obrutus fuit, infamiam (exempli
gratia) cum accusabatur seditiois, uel exilium,
uel stuprum & homicidium liberorum suorum,
uel eiectionem e regno, uel id genus aliam, qua
de diuina ira & aeterna internecone admonitus
fuit, certē satis causae habuit, cur profiteatur se
de profundis clamare. Sic Ionas, sic Hieremias,
sic Daniel clamauerunt de profundis tam reali-
bus, quā metaphoricis, cum ille in uentre ceti
iaceret, iste in lacu lutofo haereret, hic in fouea la-
pide occlusa inter leones sederet. Sic de pro-
fundis clamant, quotquot multis & magnis ma-
lis ita oppressi iacent, ut nullis suis uiribus inde
sese explicare queant, sed necesse habeant ex alie-
no auxilio pendere, & alienam opē implorare.

Vidimus quid sit De profundis. Audiamus nūc
ad quem David de profundis clamat, & cuius au-
xiliū inuocet. Num ait, De profundis clamo ad
te Abraham? aut ad te Iacob? Sunt enim, qui ex
eo, quod patriarcha Iacob de Ephraim & Ma-
nasse dicit, Inuocetur super eos nomē meum, no-
mina quoq; patrum meorum Abraam & Isaac,
argumentantur, sanctos mortuos esse inuocan-
dos. Sed hi & imperitia & impietate peccant.
Imperitia est, quod non intelligant phrasin He-
braei sermonis, qua patriarcha Iacob non docet
mortuos

psal: 2.
ier: 38.
dan: 6.

gen: 48.

imperitia

mortuos inuocandos, sed significat se adoptare nepotes suos Ephraim & Manassen, in suos & patrum suorum filios, ut singuli capiant unam cum alijs filijs suis tantum hereditatis, quantum caperent, si immediatè ex Iacob, sicut alij filij sui nati essent. Nam si non fuissent in filios adoptati, successissent parèti suo Ioseph, & accepissent in distributione terræ Canaan unam tantū partem hereditatis. Nunc autem, cum adoptentur, singuli capiant singulas hereditatis partes. Itaque cum Iacob ait, Inuocetur super eos nomen meum: hoc uult dicere, uocentur posthac meo et patrum meorum nomine, dicantur mei & patrum meorum filij, adoptentur in meos filios, ut sicut alij mei filij, ita & ipsi singulas accipiant sortes terræ promissæ. Eadem phrasis extat etiam apud Esa. 48. Audite hæc domus Iacob, qui uocamini nomine Israel, &c. Hoc ab interprete rectè tralatum est, cum sit idem loquendi modus cum eo, quem antè ex Genesi recitauimus. *Impietas* Impietas autem est, quòd sentiant homines mortuos inuocandos esse. Quem enim in necessitate inuocas, ut ferat tibi opem ad consequendam non corporalem tantum, sed et spiritualem & æternam salutem, eum adores, & pro Deo colas, necesse est. Nam cui tribuis potestatem seruandi æternæ salute, huic etiam tribuis maiestatem diuinitatis.

VNUS

Vnus autem solus Deus adorandus & colendus est. Audi Israel, inquit, Dominus Deus noster, Deus unus est. Et mox, Dominum Deū tuum timebis, & illi soli seruias. Quare, qui homines mortuos inuocant, transferunt maiestatem unius ueri Dei in creaturas, & fiunt idolatræ. At enim unus & uerus Deus, inquit, delegauit seruandi officia hominibus sibi acceptis, & distribuit inter eos ministeria curandi morbos et alias afflictiones, ut hic medeatur oculis, ille auribus, iste torminib. hic iuuat puerperas, ille tueatur segetes, iste conseruet in morte. Hæc quidem dici solent. sed quando isti descenderunt de cælo, ut reddant nos certiores, talem esse in cœlesti cœtu politiã, aut potius œconomiam, qualem ipsi nobis describunt? Inter iurisperitos turpe iudicatur, respondere lege non perspecta: quãto turpius est inter Christianos in ecclesia Dei aliquid de cœlesti œconomia affirmare, non perspecto uerbo Dei? Sed iterum dicunt, Vt angeli, ita & sancti in Christo mortui, cum non exuerint unã cum corpore caritatem suam erga nos, orant pro nobis in cælo: cur igitur non essent inuocandi? Vt concedamus, sanctos in cœlis optare nobis bona, pro sua, eaq; cœlesti ratione, quã optionem uocaueris sanè orationem seu preactionem, nihil moror. manifestum tamẽ est, quòd
non

risperiti

non sint inuocandi. Qua fronte enim, aut potius qua fide, eos inuocabis, de quorum inuocatione nullum prorsus extat in uniuersa sacra scriptura, nec uerbum, nec exemplum? Vbi autem non est uerbum Dei, ibi nec est fides. Fides, inquit, ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Porro ubi non est fides, quid ibi recte geri posset? Omne quod non est ex fide, inquit Paulus, peccatum est. Cum igitur inuocatio sanctorum careat uerbo Dei, ideoque non possit ex fide fieri, peccatum sit necesse est, tantum abest ut sit cultus uel Deo, uel sanctis eius acceptus. Non damnamus, si quis forte *κατὰ ὑποπόνοιαν* erumpat in hanc uocem, Ah Petre, memineris mei apud Christum Dominum nostrum, ut hac uoce testetur affectum suum, se cupere ut non tantum homines pii in Christo mortui, sed etiam uniuersae creaturae, quae et pro nobis ingemiscunt, commendent salutem ipsius Christo. Quis enim talem affectum, tali grammatica forma loquendi, simpliciter, sine ulla superstitione, aut impietate expressum, temere damnaret? quemadmodum ecclesiasticos scriptores, maiores nostros aliquoties locutos esse uidemus, sed sine uerbo Dei distribuere salutis officia inter sanctos mortuos, & instituere nouum inuocationis sanctorum cultum, ac obseruare litanias sanctorum inuocatrices, hoc demum uere est idolatriam

Rom: 10.

latrian instituere & sectari. Quare cum Dauid de profundis clamaret, non contulit se inuocatione sua ad Abraamum, ad Isaacum, ad Iacobum, ad Moysen, aut alios patriarchas, quos sciebat sanctos quidem esse, & coram Deo uiuere, non autem transferendam in ipsos esse maiestatem, soli & uni uero Deo debitam.

I quomodo

Ad quem ergo clamat? quem inuocat? Ad te Domine, inquit. Quis est ille Dominus? Videlicet is est, non solum qui creauit coelum & terram, qualem & Turcae se inuocare dicunt: sed qui se patefecit promissione seminis de muliere, quod coterat caput serpentis: promissione item seminis Abrahæ, in quo semine benedicenda sint omnes gentes. Quid plura? Is est, qui est pater Domini nostri Iesu Christi. Hunc inuocat Dauid, ad hunc clamat Dauid de profundis. Hic enim is est, ¹ primum qui uerbo seu præcepto suo iussit se inuocare, & ad se in afflictione clamare. ² Deinde, qui tantis est uiribus, ut se inuocantes iuuare possit. est enim omnipotens. Postremo, qui ³ tanta est beneuolentia erga inuocantes ipsum ex fide, ut etiam ex animo cupiat & uelit eos seruare. Promisit enim inuocantibus auxilium: & quod promisit, hoc etiam re ipsa implet: quia est uerax. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eripiam te, & honorificabis me. Cum igitur talis
ac tan

ac tantus sit Dominus Deus pater Domini nostri Iesu Christi, rectè pergit ad eum David inuocatione sua de profundis, ut quem non dubitet, quin sit preces ipsius exauditurus.

Sed audiamus tandem, quid ad Dominum de profundis clamet, & quid à Domino petat. Sequitur, Domine exaudi uocem meam. Et ne quis existimet hoc non seriò peti, additur alijs quidem uerbis, sed eadem sententia, Fiant aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.

Nunc uidentur aures tuæ à precibus meis auerſe. quod etsi clamo, tamen iaceo adhuc prostratus & demersus in profundis malorum. precor igitur te, ut aures tuas ad inuocationem meam adhibeas: precor, ut declares te meam orationem exaudire, & liberares me ab his grauissimis, quibus adfligor, aduersis. Rem mirandam. Deus immittit nobis aduersa bono consilio, & aduersa sunt nobis adiumento in bonum. Quid igitur audemus Deum inuocare, ut nos ab aduersis liberet? An non hoc est contrà Dei uoluntatem, & nostram utilitatem precari? Hic considera mihi quam obedientiam Deus in omnibus rebus à nobis requirat. Etsi enim immittit aduersa, & iubet ea patienter ferre, tamen iubet quoq; nos ipsum inuocare, ut ab aduersis liberemur. *Inuoca*

*Quoniam ob
me, inquit, in die tribulationis, eripiam te, & honorificabis nos*
g *norificabis nobis Regni*

norificabis me. Primum enim cedunt quidem ad-
uersa in bonum diuina clementia & bonitate,
per se autem nec sunt bona nec prospera. Et qui
 aduersis affligitur, uersatur in magnis & multis
 periculis. Quare, ut aduersa non sunt temere su-
 scienda, ita liberatio ab aduersis petenda, &
 pie querenda est, ne Dominum Deum nostrum
 tentemus. Deinde Deus in hunc usum solet aduer-
 sa immittere, ut excitet in nobis spiritum precum,
 & habeat occasionem declaranda erga nos sue
 potentiae, clementiae, & bonitatis in admirabili

Ose. 6. ab aduersis liberatione. Et testatur propheta,
 quod Deus discerpit, ut sanet: percutiat, ut cu-
 ret: mortificet, ut uiuificet: deducat ad inferos, ut
 1. Reg. 2. reducat. Cum igitur Deus non uelit perditionem
 afflicti, sed potius liberationem & salutem eius,
 perspicuum est, quod etsi humiliare nos debemus
 sub potenti manu Dei, & patienter ferre aduer-
 sa: tamen non est petendum, ut aduersa aduersis
 cumulentur, sed potius, ut ab his, quibus in praesentia
 affligimur, liberemur. Non est quidem Deo
praescribendus modus, aut tempus, aut alia id ge-
nus circumstantia liberationis. Omnino enim in
 hoc orationis genere usurpandum est, quod Chri-
 stus filius Dei dixit: Non mea, sed tua uoluntas
 fiat. Ipsa autem liberatio petenda est, ut uera &
eterna felicitate, quam Deus in Christo filio suo
 nobis

libera nos a malo.

nobis promisit, re ipsa tandem fruamur. Ha-
 etenus perstrinximus precationem, qua David
 petit liberationem ab extremis, quibus affligeba-
 tur, malis. Sed cum in precatione necessaria sit
 fiducia, qua certò statuendum est, preces nostras
 non esse uanas, nec Deum esse surdum: sed exau-
 dire preces, & seruaturum nos in aduersis, mul-
 ta sunt, quæ precatorem ab hac fiducia auocare
 ac etiam abstertere solent. Maximè autem om-
 nium opponit se huic fiduciæ conscientia pecca-
 ti. Tu quidē dicis, De profundis clamo ad te Do-
 mine, Domine exaudi uocem meam: sed cōscien-
 tia peccati reclamationat, Quæ est illa, inquiens, im-
 pudencia, quòd cum bene scias, tot & tanta esse
 peccata tua, ut supergrediantur caput tuum, au-
 deas tamen precibus tuis in conspectum Dei pro-
 dire, & liberationē à malis tuis non optare tan-
 tum, sed etiam sperare? Deus misericors quidem
 est, sed bonis & rectis corde. Tu uerò malitiam
 & peruersitatem cordis tui manifestè agnoscis,
 ac manibus etiamnum, ut ita dicam, palpas. An
 nescis, quòd etsi auris Domini non est aggraua-
 ta, ut exaudire nō possit, tamen iniquitates tuæ,
 quarum tibi probè conscius es, diuidant inter te
 & Deum, & peccata tua abscondāt faciem eius
 à te, ne exaudiat? Hæc est grauißima tentatio,
 qua multi ita percelluntur, ut non tantum inci-
 piant

*in precatione
 necessaria e
 fiducia*

piant in precibus suis de exauditione dubitare, uerum etiam abijciant preces, ex desperatione, et fiant contemptores Dei, ac palàm illud ethnici dicere haudquaquam uereantur, Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo. Qua impietate, nihil potest dici horribilius. Audiamus igitur Dauidem nostrum, qui cum & ipse his cogitationibus tentatus fuerit, euasit ex eis, per spiritum Domini, saluus: et docet nos suo exemplo, quid faciendum sit, ut hæc pericula, & hanc impietatem superemus.

intitio
3 Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

4 Sed apud te est propiciatio, ut timearis.

Breuisissimi uersiculi, sed qui sint ex præcipuis, quos in toto Psalmorum libro reperias. Docent enim perspicuè, quid opponendum sit accusationi peccati in iudicio Dei: & continent insignem illam, & cognitu necessariam doctrinam de uera pœnitentia coram Deo. Si iniquitates, inquit, obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Simplicius esset, si dixisset, Si obseruaueris Domine iniquitates, nemo sustinebit: sicut aliàs ait, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Nunc uehemen-

5: 142.

uehementius est et acrius, quòd effert hãc sententiam interrogatione. Accusatur David peccati non negat, nõ excusat: sed sic agnoscit, ut etiam ingenuè fateatur, se si secundum peccata sua iudicetur, perpetuò esse damnatũ. Quis, inquit, sustinebit, si obseruaueris, si diligenter perscrutatus fueris iniquitates? Nullus unquã uel patriarcharũ, uel prophetarũ potuit sua uirtute in conspectu Dei constare. Quis igitur ego essem, qui tantã diuini iudicij seueritatẽ sustinere possẽ? Habes quid faciendũ sit, cũ in diuino iudicio accusamur peccati. Agenda uidelicet est pœnitentia. In actione autẽ pœnitentiæ primum omniũ agnoscendum est peccatũ, agnoscenda est merita pœna peccati, siue afflictiones, siue mors, siue etiam horrores inferni. In humano quidem iudicio euaseris aliquoties, si constanter negaueris te peccasse, aut peccatum excusaueris. In iudicio autẽ diuino intantum non euadis negatione. aut excusatione, ut potius hac uia peccatum peccato cumules. In initio enim peccatum, quod à parentibus nostris in nos propagatum est, carni nostræ ita inheret, ut nullus unquam etiam sanctissimorum hominum fuerit, qui non semper secum in sinu suo hoc peccatum usq; ad mortem in carne gestauerit. Etsi autem credentibus in Christum reatus huius peccati condonatur, tamen actus

pœnitentiæ

eius semper manet tam in credentibus, quam in incredulis. Et tanta est foeditas & impietas huius peccati natura sua, ut per se satis sufficiens causa sit non temporalis tantum afflictionis, uerumetiam aeternae damnationis. In agenda igitur poenitentia hoc peccatum agnoscendum est, & confitendum cum Dauide, Si peccatum obserua-
ueris Domine, Domine quis sustinebit? Deinde agnoscendi sunt fructus peccati. Ex peccato enim in nos propagato oriuntur uarij fructus, uidelicet contemptus Dei, blasphemia, inuidia, ira, auaritia, et infinita alia. Haec Christus sic enumerat, Ex corde, inquit, exeunt cogitationes male, caedes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Et Paulus, Manifesta sunt, inquit, opera carnis, adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulacrorum cultus, ueneficium, inimicitiae, lis, emulationes, irae, concertationes, seditio-
nes, sectae, inuidiae, caedes, ebrietates, comessatio-
nes, & his similia. Nullus autem aduultorum hominum est, qui non alicuius horum criminum aut fuerit, aut adhuc sit obnoxius. Etsi enim non omnes sibi conscij sunt crassorum illorum peccatorum, quae etiam mundus damnat & punit, nullus tamen est, qui legem Dei uere ac perfecte impleuerit. Tanta autem est seueritas diuinae legis, ut exigat rationem etiam ab ocioso uerbo: et nisi
omnia

inuis pñ

Cor.
nash: 15.

gal. 5.

euertitas di-
nae legis.

Omnia exacte & perfecte seruentur, non reputet factores iustos, sed potius execretur eos aeterna maledictione. Maledictus, inquit, omnis, qui non permanet in omnibus sermonibus legis. Et, Quisquis totam legem seruauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Quare in agenda patientia hi peccati fructus agnoscendi sunt, & iterum cum Dauide dicendum, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Præterea, nec hoc in agnitione peccati negligendum est, quod etiam in uirtutibus & bonis operibus, quæ iuxta legem Domini fecimus, uitium agnoscendum est. Nullus enim hominum est, qui factis suis legem ita impleuit, aut etiam implere queat, ut nullum in eis uitium hæreat, & gloriari de eis, ac confidere possit in diuino iudicio. Siue igitur Dominus obseruauerit iniquitates in peccatis, siue in operibus iustitiæ nostræ, non est qui possit iudicium eius sustinere. ideoque cum accusamur peccati, & affligimur, necesse habemus nos sub potenti manu Dei humiliare, peccatum agnoscere, et ingenuè fateri, nos non presentem tantum afflictionem, uerum etiam æternam damnationem, propter peccatum, meritos esse. Hoc est initium eius uia, qua euadere, et seruari possumus. Quid ergo dicemus de Iobe, quid de alijs patriarchis, prophetis, apostolis, & martyribus, *uia euadendi afflictis &c. 4* qui

Dom: 27

Jacob: 2.

Poenitentia

qui in persecutionibus, quas patiebantur ab im-
 pijs, clamauerunt ad Dominum de profundis.
 Num uerò et ipsi necesse habuerunt peccata agno-
 scere, & impiorum crudelitatem approbare? Iob
 affligitur diuinitus, & non solum ipse negat pec-
 catum suum, Hæc patior, inquit, absq; iniqui-
 tate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum
 preces: sed etiam Dominus Deus noster pronun-
 ciat eum innocentem, Nunquid considerasti, in-
 quiens, seruum meum Iob, quòd non sit similis ei
 in terra, uir simplex & rectus, timens Deum, re-
 cedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?
 Tu autem commouisti me aduersus eum, ut affli-
 gerem eum frustra. Quid Dauid? Cum eijcere-
 tur in exilium, & audiret uir sanguinũ, cur ma-
 luit tunc dicere, Domine Deus meus, si feci istud,
 si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retri-
 buentibus mihi mala, decidam meritò ab inimi-
 cismeis inanis: quàm illud nostri Psalmi, Si iniqui-
 tates obseruaueris Domine, Domine quis susti-
 nebit? Quid Paulus Apostolus? Interficitur à
 tyranno Nerone. Quæ est magna afflictio, in
 qua cum ad Dominum clamauerit, certè de pro-
 fundis clamauit. Quid ergo? Num debuit appro-
 bare tyranni sæuitiem, & agnoscere peccatum,
 ac dicere, Si iniquitates obseruaueris Domine,
 Domine quis sustinebit? Hic considerandum est,
 quòd

6. 16.

Iob 1.

Ps. 7

et:

quòd aliud sit, coram diuino iudicio, cū solo Deo, aliud coram Deo, cum hominibus causam suam agere. Nam si coram solius Dei iudicio, absq; collatione cum hominibus constitutus fueris, nihil prorsum habes, quod glorieris. Si enim Deus obseruauerit iniquitates, inuenit quod damnet, nō in malefactis tantū, sed etiam in benefactis, quē admodū antea attigimus. Quare siue iustē, siue iniustē coram mundo affigeris, semper confitearis, necesse est, te, si Deus iniquitates obseruaret, non solum hanc præsentem & corporalem afflictionem, uerumetiam æternam damnationem, meritum esse. Itaq; Iob, Dauid, & Paulus, etsi nō sunt sibi conscij, quòd coram mundo, ille direptionem facultatum suarum, iste eiectionem in exilium à filio suo, hic interfectionem à tyranno Nerone, meriti sint: necesse tamen habuerunt confiteri, se in hoc non esse iustificatos. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quòd si uerò causam tuam egeris coram Deo, nō solo, sed cum hominibus aduersarijs, ibi tum iniustē afflictus, aut falso accusatus, non solum non debes alienam iniustitiam, aut mendacium approbare: sed etiam debes iustitiam facti tui, iuxta uocationem tuam, constanter affirmare & tueri. Etsi enim nullus iustificatur in conspectu Dei, collatus cum perfecta iustitia, quam

lex Dei exigit: tamen qui honestè ambulat, & ab impijs aut iniquis iniuste affligitur, aut falso accusatur, iustificatur in conspectu Dei, collatus uidelicet cum iniquitate & crudelitate aduersariorum suorū. Quare Iob rectè facit, quòd non approbat iniustitiam Chaldæorum, qui ipsum facultatibus suis spoliauerunt: nec approbat sententiam suorum amicorum, qui argumentabantur ipsum propter peccata afflictum: sed tuetur aduersus eos innocentiam suam constanter. Et David uerè dicit, cum collatus cum calumniatore suo, ait: Iudica me Domine secundum iustitiã meam, & secundum innocentiam meam super me. Et Paulus, cum à Nerone iuberetur occidi, potuisset piè dicere, quod Zacharias ad suos interfectores dixit: Videat Dominus, & iudicet.

2. Par. 24.

Sed reuertemur nunc ad institutum. Sicut initium pœnitentiæ, ita & initiū euadendi ex profundis est, agnoscere peccatū suum coram Deo, & ingenuè confiteri, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quid ergo? num ad euasione ex profundis aliquid amplius, quàm peccati & pœnæ meritæ agnitio requiritur? certè requiritur. Si enim hæc agnitio constiterit sola, intantum non potest seruare deiectum in profunda, ut eum in profundiora premat, ad deoq; prorsus conterat. Cain, Saul, Ahitophel, Iudas,

Iudas, & alij his similes iacebant in profundis, & agnoscebant peccata sua: sed quia ad hanc agnitionem nihil aliud accedebat, tantum abfuit, ut ex profundis liberarentur, ut potius in infernum ipsum demersi fuerint. Quare ad consequendam liberationem, non est hoc gradu consistendum, sed pergendum est ad id quod in Psalmo nostro sequitur. Sic enim ait: Sed apud te est propitiatio, ut timearis. Hoc illud est, quod ad euasione[m] ex profundis, post peccati agnitionem, necessario requiritur, uidelicet ut agnoscamus et credamus, quod apud Dominum sit peccati propitiatio. In nobis est peccatum, in Domino autem est remissio peccati. In nobis est iniquitas, in Domino autem est propitiatio iniquitatis. Hoc fide est accipiendum, hoc fide est retinendum, hoc è fide nullis unquam aduersis est amittendum. Quid aut hoc noui est? inquires. An nõ & Iudæi & ethnici, & Turcæ, & hypocritæ, & omne hominum genus, quod modò aliquam Dei cognitionem habet, fatentur Deum esse propitium & misericordem? Omnes igitur hi liberabuntur ex profundis? Et iuxta refert, Siue fueris ethnicus, siue Iudæus, siue Turca, modò credideris, agnito peccato, Deum esse propitium? Non certè iuxta refert. nec omnes qui dicunt Deum esse propitiu[m], liberantur ex profundis.

Facile

Altera par
poenitentia

Deum esse propitium
Sed in tentationibus difficile credimus

Facile enim est ante tentationem, seu ante reuelatum iudicium Dei, uerbis fateri Deum esse misericordem & propitium, id quod omne fere hominum genus de Deo iactat: sed hoc constanter credere & fateri, si fueris tentationibus obiectus, & ante tribunal Dei constitutus, id demum non est, nisi eorum qui ueram habent agnitionem filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Nam alij, qui iactant misericordiam Dei, sentiunt Deum esse respectorem humanorum meritorum, & eum esse misericordem ac propitium ijs, qui misericordiam eius, operibus suis merentur. Itaque ethnicus suscipit Deum placandum hecatombis, Iudeus sacris Mosaicis, Turca sacris Mahumeticis, hypocrita operibus commenticijs, aut etiam iuxta legem Domini excogitatis. Quid plura? Videntur hi omnes de misericordia Dei recte sperare: sed cum uenerint ad iudicium Dei, & sentiant seueritatem eius, ibi omni spe sua frustrantur, & animum prorsus despondent. Deus enim non est nec propitius, nec clemens, nec misericors, propter humana merita: sed gratis, tantum propter semen Abrahamæ, hoc est, propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. Omnes, inquit Paulus, peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quæ est per Christum

Rom. 3.

Christum Iesum, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Et Ioannes, Si quis, inquit, peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nec dubito, quin cum Dauid in hoc Psalmi uersiculo dicat, Apud te est propitiatio: spiritus sanctus respexerit nomine propitiationis, in filium Dei, Iesum Christum, qui est apud Deum, et qui fuit quondam propitiatorio Mosaico adumbratus, propterea quod pater proposuerit hunc filium suum mundo, propter quem solū uelit propitius esse, & cum humano genere reconciliari. Quare qui aut ignorat, aut contemnit filium Dei Iesum Christum Dominum nostrum, hic etsi multum iactat misericordiam Dei, fieri tamen non potest, ut fruatur ea ad ueram & eternam salutem.

At enim exoriuntur hic noui impostores *negd*
q̄q̄vawāras, qui concedūt quidem, unum tantum esse propitiatorem, Iesum Christum: & solum sacrificium eius, quod semel in cruce peregit, esse propitiationem et expiationem peccatorum: sed interim docent impudenter, quod Christus instituerit in ecclesia sua singulare sacerdotium, uidelicet Missarium: cuius officium sit, singulis diebus sacrificare corpus & sanguinem Christi
 in Missa,

propitiati

in Missa, ut hoc sacrificio meritū Christi hominibus applicetur. Docent etiā meritū Christi per alia sacrificia, uidelicet contribulati cordis, afflictionū, ieiuniorū, precatiorū, gratiarū actionū, laudis, & id genus aliarū rerum, hominib. applicari. Sed horum inscitia & impietas manifestior est, quā quæ multis refutari debeat. Primum enim, Christus nō instituit nec singulare sacerdotium, nec singulare sacrificiū in ecclesia, quo meritum unicusui sacrificij hominib. applicetur: sed instituit ministeriū in hunc usum, ut quā reconciliationē ipse sacrificio corporis & sanguinis sui impetrauit, publicē adnunciatur, & hominib. distribuatur. Manifestum quidem est, quod ipse sit sacerdos in æternū, secundū ordinē Melchisedec, & quod fecerit omnes credentes in ipsum sacerdotes & reges, Vos, inquit Petrus, estis genus electū, regale sacerdotiū, gēs sancta: Sed falsum est, quod fecerit sacerdotes Missarios, qui sacrificio & murmuratione Missæ, applicēt meritū Christi quibuslibet, uiuis & mortuis. Nam meritū unicusui sacrificij Christi nō applicatur hominib. alio organo, præterquā ministerio prædicandi Euangelij de Christo, et distribuēdi sacramēta Christi, quæ sunt baptismus et coena Dominica. nec alia re percipitur, præterquā fide. Aliud est applicare meritū Christi, aliud fructū huius meriti percipere.

1. pet: 2

meritū christi
modo ap.
ieter, et
ipiatu

Applicare meritum christi. et
meritū huius nominis percipere,
sunt diuersa.

cipere. Minister ecclesie, applicat quidē, hoc est,
 offert & proponit cōcione Euangelij, & distri-
 butione sacramentorū, omnib. auditorib. suis me-
 ritū Christi: sed quia nō oēs accipiūt concionē &
 sacramēta uera fide in Christū, ideo nec oēs per-
 ciunt fructū meriti Christi. Nam quōd meritū
 Christi applicetur, seu offeratur et proponatur
 ecclesie, nō fictitio illo Missæ sacrificio, sed tantū
ministerio predicādi Euangelij, et distribuēdi sa-
cramēta, & quōd per fidē tantū fructus eius acci-
piatur, perspicua sunt testimonia sacræ scriptu-
 ræ. Apud Marcum dicit Christus ad Apostolos:
Profecti in mundū uniuersum, predicate Euāge-
lion omni creaturæ. Hic habes ministeriū appli-
 cationis, uidelicet nō sacrificiū Missæ, sed predi-
 cationē Euangelij. Et mox additur, quib. reb. ap-
 plicatio uel suscipiatur, uel reiiciatur. Qui credē-
derit, inquit (uidelicet Euāgelio) et baptisatus fu-
erit, saluus erit: qui uerō nō crediderit, condēna-
bitur. Habes applicationē percipi fide, reiici autē
incredulitate. Apud Lucā ait, Sic scriptū est, &
 sic oportebat Christum pati, & resurgere à mor-
 tuis tertio die, & predicari nomine eius pœni-
tentiam ac remissionē peccatorū, in omnes gen-
tes. Hic iterū significatur, predicationē Euange-
 lij Christi esse ministeriū illud, quo remissio pec-
 catorū, quā Christus mortis suæ sacrificio impe-
 trauit, distribuitur et applicatur omnib. gētibus.

applicatio n
 meriti chri

Mar. 16.

meriti chri
 applicatio.

Luc. 24.

17: 10

Rom: 1

Rom: 10

Et quia aliàs dicitur, Huic omnes prophetae testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum: manifestum est, quòd remissio peccatorum, non nisi fide in Christum accipiatur. Ad Romanos autem dicit Paulus: Euangelion Christi est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quid manifestius est de applicatione et de perceptione applicationis dici potest? Euangelion, seu praedicatio Euangelij Christi est ministerium illud, quo Deus est potens et efficax, ut quotquot oblatam seu applicatam salutem fide accipiunt, uere eam consequantur. Et iterum, Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Insignis sententia, qua perspicue significatur, fidem, qua iustificamur et seruamur, non esse ex murmuratione et oblatione Missarum, sed ex auditu uerbi Dei. An non et in Missis, dicit quispiam, adnunciatur et auditur uerbum Dei? Nos uero nunc non loquimur de ijs Missis, in quibus et Euangelion Christi pure adnunciatur, et coena Domini iuxta institutionem Christi distribuitur: sed de ijs in quibus non hoc agitur, ut sacramentum coenae Dominicae dispensetur ecclesiae: sed in quibus suscipiuntur corpus et sanguis Christi offerenda Deo patri ad applicandum quibuslibet meritum Christi, seu uiuis, seu mortuis. In his

Missis

Missis etsi quaedam e sacra scriptura leguntur, tamen prohibetur publice & uernacula lingua recitari, quod maxime omnium palam adnunciari oportebat. Iussit enim Christus in coena publicam facere mortis suae mentionem: Hoc facite, inquit, in mei commemorationem. Et Paulus, Quotiescunque, inquit, comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini adnunciate, donec ueniat. Visum igitur est maioribus nostris, ut in coena recitentur ea uerba, quibus Euangelistae institutionem coenae describunt, non certe ad hunc usum, aut potius abusum, ut his uerbis tanquam magicis incantamentis corpus Christi de caelo deuocetur, & in pane tanquam in corbem aut canistrum includatur, aut ut panis in corpus Christi transsubstantietur (sic enim isti loquuntur) sed ut haec recitatio esset compendiaria commemoratio & adnuntiatio mortis Christi, qua commemoratione fiat, ut coena consecretur, hoc est, ut ecclesia intelligat & cognoscat celebrari nunc non profanam aliquam, sed Dominicam coenam, & ut auditu adnuntiationis mortis Christi, ac sumptione coenae fidem suam aduersus omnia tentationis genera confirmet. Quid autem noui illi *φρσναιω έραι* Prohibent, ne haec euangelistarum uerba in Missis suis publice & lingua ecclesiae nota recitentur. Et

h

tur. Et

tur. Et addunt bellam rationem, ut hoc mysterium (inquiunt) non prophanetur. Scilicet prophanatur, cum, quod Christus iussit, beneficium mortis eius adnunciatur: non autem prophanatur, cum & impurissimi nebulones illud tractant, & institutionem Christi impudenter uiolant. Ac uocetur sane cœna Dominica, mysterium. Num autem idcirco uocatur mysterium, quod uerba cœnæ debeant in Missis coram ecclesia occultari, & non potius, quod aliud uideatur, aliud significetur? Eadem ratione, ne Christus quidem ipse, qui est uerum mysterium, in uniuerso mundo prædicandus esset, ne uidelicet prophanaretur. Non omnibus quidem indiscriminatim cœna Domini exhibenda est. Quid enim ecclesiæ, cum publicè impijs, scortatoribus, ebriosis, & alijs id genus sceleratis? Sed qui sanctificati sunt per Christum ad sumendam cœnam, hi etiam sanctificati sunt ad audienda uerba Euangelistarum de cœna, hoc est, ad audiendam commemorationem mortis Christi. Quare qui prohibet, ne uerba cœnæ publicè, lingua ecclesiæ cognita, in cœna recitentur, primùm significant se reputare ecclesiam indigniorem, quàm quæ audiat adnunciationem mortis Christi sui. deinde quia obtrudunt ecclesiæ spectandum, ac etiam adorandum panem, quem uidet quidem ecclesia halitu & murmure

murmure sacrificuli afflari, nō cognoscit autem
 certò, num uel uerba Euangelistarum, quæ isti
 uocant uerba cōsecrationis, uel magica quædam
 carmina recitata sint, instituunt manifestam ido-
 latrian, omnibus pijs fugiendam & uitandam.
 Sed de his aliàs copiosius. Nunc pergamus aliud
 testimonium ex Paulo commemorare, quòd me-
 ritum Christi non applicetur ecclesiæ, sacrificio
 Missæ, sed ministerio prædicationis Euangelij,
 & dispensationis sacramentorum iuxta institu-
 tionem Christi. Sic autem scribit Paulus ad Co-
 rinthios, Dedit nobis ministerium reconciliatio-
 nis. Et ne quis hoc ad officium, ut uocant, Missæ-
 rum Papisticarum trahere queat, mox additur,
 Posuit in nobis sermonem reconciliationis. Non
 igitur missando, sed prædicando applicatur no-
 bis recōciliatio. Et aliàs: Dedit alios Apostolos,
 alios prophetas, alios Euangelistas, alios pasto-
 res ac doctores, ad instaurationem sanctorum, in
 opus administrationis, ad ædificationem corpo-
 ris Christi, donec perueniamus omnes in unitatē
 fidei, & agnitionis filij Dei. Hic enumerat Pau-
 lus dona & ministeria, quæ Christus in ecclesia
 instituit, & quæ necessaria sunt ad ecclesiæ ædifi-
 cationem & conseruationem. Sed ubi inter hos
 reperias sacrificulos & missatores? Huc acce-
 dit, quod Petrus scribit: Renati, inquit, non ex
 h 2 semine

Ephes. 4.

1. Pet. 1.

semine mortali, sed ex immortali, per uerbū Dei
 uiuentis, & manentis in eternum. Hoc autem est
 uerbum, quod per Euangelion ad uos delatū est.
 Iam si per uerbum Euangelij renascimur, quid
 aliud consequeretur, quā quod etiam per uer-
 bum Euangelij applicentur nobis beneficia Chri-
 sti? & quia Euangelion non nisi fide accipitur,
 necessario consequitur, quod & beneficia Chri-
 sti non nisi fide accipiantur. Quare ualeant no-
 ui illi impostores, qui ecclesiae obtrudunt Missas
 suas pro applicatorijs sacrificijs. nos uerò audia-
 mus apostolicam doctrinā, & sumamus coenam
 Domini iuxta Christi institutionem, ex fide, ut
 quod nobis doctrina & coena Domini offertur
 & applicatur, fide utiliter & salubriter perci-
 piamus. Deinde, quæ est illa uel incogitantia,
 uel intemperies, quod isti *μαρτυροῦσι* doceant meri-
 tum Christi, hoc est, propitiationem & remissio-
 nem peccatorū, applicari etiam per sacrificium
 spiritus contribulati, & per carnis afflictiones?
 Suus quidem usus est spiritus contribulati & af-
 flictionum, & aliarum, quas isti enumerant, re-
 rum: sed quod sint sacrificia applicatoria meriti
 Christi, quid potest impudentius dici? Extortum
 est ab istis meritum humanorum operum irrefu-
 tabilibus & inuictis scripturæ testimonijs. Nunc
ergo pro nomine meriti producant in medium
 nomen

ps. Contri-
 bulati &
 carnis affli-
 ctio, nō appli-
 catoria meri-
 ti christi

ITERIM

nomen applicationis, quo perstringant oculos
 imperitorum, ut habeantur disertis doctores: cum
 tamen ueterem impietatem retineant, & senti-
 tiant, nos nostris actionibus & passionibus me-
 reri, ut accipiamus à Christo remissionem pecca-
 torum. Sed profectò, si probè obseruaueris, non
 potest impietas eorum occulta esse. Quid enim
 habet in se spiritus contribulatus, quid ieiunium,
 quid eleemosyna, per quod remissio peccatorum
 applicetur? Num in spiritu contribulato est præ-
 dicatio Euangelij? num in ieiunio est dispensatio
 cœnæ Dominicæ? Quid ergo dicemus? Saul, cū
 obtulit se armigero suo occidendum, habuit spiri-
 tum contribulatum, ergo ne applicauit sibi hoc
 spiritu meritum Christi? Ahitophel, & Iudas ha-
 buerunt spiritus contribulatos, cum ad loqueos
 properarent, dicemus igitur eos tunc sibi meri-
 tum Christi applicuisse? Quid magis insanum?
 Multi inter Iudæos & Turcas suscipiunt ex reli-
 gione, ieiunia, & alias carnis afflictiones, appli-
 cant ergo sibi meritum Christi? In ecclesia, in-
 quis, & in fide Christi hæc ualent, non extra ec-
 clesiam & fidem. Ergo priusquam hæc fiunt, ne-
 cesse est, ut meritum Christi fuerit applicatum.
 Quomodo igitur dicis, per hæc applicari? Hoc
 certè nihil aliud est, quàm illud hæctenus in Papi-
 stica ecclesia usitatissimum, quòd in iniungenda
 h 3 satisf

1. Reg. 31.

2. Reg. 17.

Satisfactione, indixerint pro scortatione eleemosynam, pro crapula peregrinationem, pro furto ieiunium, pro homicidio chameuniam, aut si quid est impertinentius. Quæ enim collatio eleemosynæ ad scortationem, ieiunij ad furtum? Cur non potius pro scortatione iniuncta est castitas, pro crapula, ieiunium, aut sobrietas, pro furto, restitutio furti? Sed nunc libet *ἔρρηκται* istis, nouo quodam loquendi genere ueteres abusus, imò impietates restituere, ut lux ueræ doctrinæ de consequendo merito Christi obscuretur, & extinguatur. Beatus igitur uir, qui non ambulat in consilio eorum, nec stat in uia ipsorum, nec sedet in cathedra pestilentie eorum, sed meditat in lege Domini die ac nocte.

Apud te, inquit noster Psalmus, est propitiatio, quæ ut non applicatur nobis uel sacrificio Missæ, uel ieiunio, uel chameunia, sed tantum prædicatione Euangelij, & dispensatione sacramentorum Christi, ita non accipitur ad salutem, nisi per fidem in Iesum Christum, unicum propitiatorem nostrum. Quid autem illud est, quod additur, Vt timearis? Duo dixit: alterum, quòd si Dominus obseruauerit iniquitates, nullus hominum in iudicio eius consistere queat: alterum, quòd apud Dominum sit propitiatio. Additur ergo nunc, in quem usum hæc duo de Domino Deo

Deo nostro cognoscenda & confitenda proponuntur, Vt timearis, inquit. Timere Deum, iuxta uulgarem phrasim scripturæ, est Deum colere, Deum uenerari, Deo gloriã tribuere, Deo credere & confidere, ac Deo obedire. Cum igitur agnoscimus, coram Deo nullum hominem esse innocentem, & tamen apud Deum esse propitiationem, agnoscimus primùm, quòd soli Deo tribuenda sit gloria perfectæ & absolutæ iustitiæ. Deinde, quòd soli Deo tribuenda sit gloria clementiæ, misericordiæ, & propitiationis. Tertio, quòd soli Deo adscribenda sit liberatio ex profundis. Quarto, quòd soli Deo fidendum in omnibus aduersis. Quinto, quòd solus Deus sit inuocandus. Postremo quòd Deo tam iusto, tam propitio, semper sit obediendũ, semperq; in uocatione eius ambulandum. Hoc est Deum uerè timere, uerè colere, & cognoscere. Et qui sic Deũ timet seu cognoscit, non fruitur uana speculatione, sed accipit fructum æternæ uitæ. Hæc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Incumbamus igitur in hoc studium, ut agnita iustitiã et clementia Dei per Iesum Christum filium eius, Deum toto pectore colamus, & eo in æternum fruamur. Habes, quid faciendum sit, si in imploratione diuini auxiliij, reijciaris accusatione

*Timere
deum.*

1oh: 17.

4 h pecca-

peccati . primū enim agnoscendum est peccatum, & ingenuē, ex animo confitendum, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Deinde credendum est, quod apud Dominum sit propitiatio iniquitatis propter Iesum Christū filium Dei. Postremò timendus, colendus & glorificandus est Deus, ut obedientia tua gratum te declares. Hoc autem quid aliud est, quàm ueram agere pœnitentiam? Quare in his duobus uersiculis, etsi breuissimis, tota tamē doctrina de pœnitentia luculenter cōtinetur.

Sed audiamus nunc eos uersiculos, quib. Dauid hanc suam precationem concludit.

5 Expecto Domine, expectat anima mea, & in uerbo tuo spem habeo.

6 Anima mea ad Dominum, à custodia matutina usq; ad custodiam matutinam.

Hæc est precationis conclusio. Dauid enim clamauit de profundis, ut à malis suis liberetur. Et quia obiectæ ei fuerunt iniquitates, propter quas indignus esset qui exaudiretur, egit pœnitentiam, agnouit iniquitates, & credit apud Dominum esse propitiationem propter Christum,
ac reci-

ac recipit se in timore Domini ambulaturum. Quid ergo amplius obstat, quo minus exaudiat, et auxilium diuinum accipiat? Nihil certe obstat. Expecto igitur nunc, inquit, auxilium tuum Domine: nec simpliciter ac trepidè expecto, sed expectat anima mea, expecto ex animo, et ardentissimè. Et expecto non fluctuanti aut diffidenti animo, sed firmissima et certissima spe, quam ex uerbo promissionis tue cōcepi, et quæ nullum pudefacit. Expecto etiam non uno tantum tempore, sed à custodia seu uigilia matutina usq; ad uigiliam matutinam: hoc est, singulis diebus, à mane usque ad mane. Non abijcio spem, etiam si non statim sentiam auxilium. Si hodie nō liberor, expecto usq; ad alterum diem. Si nec altero die liberor, expecto usq; ad tertium: et sic pergo semper expectare tuum auxilium certissima spe concepta, quòd cui es propitius, et cui auxilium tuum promissisti, non sis eum perpetuò deserturus.

Duo dicit, se uidelicet obedienter et patienter expectare, ac spem suam in uerbo Domini collocare. Primùm igitur obserua hic discrimen inter ueram et falsam pœnitentiam. Hæc enim statim properat ad accipiendum diuinum auxilium: et nisi id mox externo etiam sensu percipiat, abijcit omnem timorem Dei, omnem spem

falsa pœnitentia

h s et

*vera pœni-
tencia.*

Et fiduciam de Deo, et querit aliena auxilia. Vera autem pœnitentia, quæ constat uera agnitione peccati, et uera fide remissionis peccati propter Christum, non properat, sed expectat et sperat. Cupit quidem quamprimum ex profundis in lucem educi: sed cum tempus extrahitur, non murmurat aduersus Deum, non inuehitur in Deum conuicijs aut maledictis, non abiicit timorem Dei, nec querit aliena auxilia contra uerbum Dei: sed expectat patienter liberationem, et certò sperat eam uel tandem uenturam. Nam cum in agnitione peccati, seriò cogitamus, nos non tantum temporale, sed etiam æternum supplicium meritos, quid habemus, quod conquæmur, etiamsi non statim è temporali afflictione liberemur? Dignus es æterno igni, et non sufferres equo animo, ad tempus hunc corporalem ignem? Adhæc, cum in fide seriò cogitamus, nos uerè in gratiam Dei receptos, et afflictiones nobis esse utiles, ac certissimam fore liberationem, quæ nobis impatientiæ et uirulentæ causa reliqua est? Agamus igitur in inuocatione diuini auxiliij ueram, nõ fictitiã pœnitentiam, ut obedientiam nostram expectatione coram Deo testificemur. Deinde, obserua quomodo spes, in diuturna expectatione confirmanda sit. In uerbo tuo, inquit, spẽ colloco. Ergo, cum expectanda

*es quomodo
confirmanda.*

Etanda nobis est diuina liberatio, confirmanda est spes nostra uerbo Domini. Deus enim non solum donauit nobis filium suum, ut esset æternus noster liberator, sed etiam promisit uerbo suo, se adfuturum nobis in omnibus aduersis huius seculi, & seruaturum nos in omnibus malis, quæ nobis in hoc mundo accidere solent.

Psalm. 9. Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatib. in tribulatione.

Et mox: Non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Et iterum: Vides, quoniam tu laborem & dolorẽ consideras, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Psalm. 11. Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Psalm. 17. Quoniam tu populum humilem saluum facies, &c.

Psalm. 33. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Psalm. 34. Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.

Psalm. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.

Psalm. 90. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Sed

Sed quis omnia ista uerba spiritus sancti, uel saltē ea quæ in Psalmis cōtinentur, quib. promittitur afflictis diuinū auxiliū, enumerare posset? Nam hæc, & his similia, ea sunt uerba, quibus spem nostrā in diuturna diuinæ liberationis expectatione ita confirmare possumus, ut etiamsi fractus illabatur orbis, non tamen de ueritate cœlestis promissionis dubitemus. Est quidem spes, quæ collocatur in humanis promissis aut coniecturis. Hæc ut multum fallit, ita sæpe solet sperantem pudefacere. At uerò spes, quæ collocatur in uerbo Domini, nec fallere, nec pudefacere potest. Exiccatur, inquit Esaias, fœnum, & cedit flos. Verbum autem Dei nostri stabit in æternum. Quare cum nobis mora expectationis nimis diuturna uidetur, properandum est precib. ad uerbum Dei, seu ad promissiones eius, ut spe nostra confirmata, patienter expectemus, quod promissum est.

Postremò obserua, quòd in aduersis patienter, & firma spe expectare cœlestem liberationem, etsi grauissimum est, tamen sit cultus Deo gratissimus, & res nobis utilissima. Non enim est tale opus, qualia hypocritæ pro suo arbitrio facienda suscipiunt; sed quod Deus ipse & mandatis exigit, & promissionibus commendat. Psalmo 26. Expecta Dominum, uiriliter age, confortetur

res frustra

res firma.

Esa: 40.

Ps. 26.

fortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et Psalm
 mo 32. Oculus Domini super timentes eum, &
 expectantes beneficentiam eius, ut eruat à mor-
 te animas eorum, &c. Et Psalm. 36. Reuela
 Domino uiam tuam, & spera in eum, & ipse fa-
 ciet. Ac iterum, Sustinentes Dominum ipsi here-
 ditabunt terram. Et mox, Expecta Dominum,
 & custodi uiam eius, & exaltabit te, ut heredita-
 te capias terram. Et Abacuc, Si moram fecerit,
 expecta illum, quia ueniens ueniet, et non tarda-
 bit. Et Esaias, In silentio & spe erit fortitudo ue-
 stra. Ac mox, Beati omnes qui expectant eum.
 Cum igitur Dominus toties iubeat nos expecta-
 re, dubium non est, quin sit ei acceptissimum: &
 cum expectationem tam liberalibus promissio-
 nibus ornet, perspicuum est, quòd in aduersis
 nihil utilius, nihilq; magis salutare facere possi-
 mus, quàm ut patienter liberationem Domini
 expectemus. Quo diutius enim differtur libera-
 tio, eo copiosior & gloriosior ueniet liberatio.
 Hæc est prior pars huius Psalmi, quæ continet
 precationem. Sequitur nunc posterior, quæ est
 aptatio priuati exempli ad uniuersam ecclesiam
 Christi, & continet exhortationem.

7 Speret Israel in Domino, quia
 apud Dominum misericordia, &
 copiosa apud eum redemptio.

8 Et

Ps: 32

Ps: 36

Abac: 2.

Esa: 30.

8 Et ipse redimit Israellem ex omnibus iniquitatibus eius.

xpla psona a habm nissiones qd piales

Hæc est altera pars huius Psalmi, in qua exemplum Davidis accommodatur ad uniuersam ecclesiam. Etsi enim in sanctis, exempla uocationum, & externarum liberationum, solent plerunque esse personalia, tamen promissiones ueræ & æternæ liberationis ac salutis sunt generales, et pertinent ad omnes homines, qui & fruuntur illis, si eas per fidem acceperint. Sic & aliàs David, Accedite, inquit, ad eum, & illuminamini, & facies uestre non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Et Paulus Christum, ueræ liberationis & salutis autorem, non sibi soli aptat, sed facit eum omnibus communem. Certus, inquiens, sermo, et dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum. Verùm ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs qui credituri essent in ipso, in uitam æternam. Et iterum, Non est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim

Psalm. 34

1. Tim. 1.

Rom. 10.

enim, quicumq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Sed & Christus ipse non concludit salutem suam ad Apostolorum tantum coetum, sed uulgat eam in uniuersam ecclesiam suam. Non pro eis, inquit, rogo tantum, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Et rursus: Thoma, quia uidisti, credis: beati qui non uident, & tamen credunt. Cum igitur uera & aeterna salus sit omnibus per fidem accipienda & fruenda proposita, recte & utiliter facit Dauid, quod accommodat in fine huius Psalmi exemplum suum, ad omnem Israelem: Speret, inquit, Israel in Domino. Propitiatio, & liberatio ex profundis, contigerunt quidem mihi per fidem & inuocationem nominis Dei propter promissum seruatorem, filium Dei: non autem pertinet ad me solum, sed etiam ad Israelem. Non est ignotum, quod patriarcha Iacob cognominatus sit Israel. Vnde postea tota familia Iacob, & omnes posterius eius dicti sunt Israel. Israel autem, si interpreteris, non significat, ut quidam exponunt, uir uidens Deum, sed dominator seu uictor Dei. Cum enim patriarcha luctaretur cum angelo Dei, & ita superaret angelum, ut non nisi optata benedictione euadere posset manu patriarchae, dictus est Israel, quod praeualuisset, & superasset angelum Dei. Hoc autem cognomen congruit po-

conside luthi sup gen: cap. 15. fo

Joh: 17.

aeterna s
uis p fiden
accipitur.

cc

Israel.

Gen. 32.

298

Ecclesia quomodo vincat diuinum?

128

*Ecclesia
dei.*

pulo seu ecclesie Dei aptissime. Ecclesia enim re-
cte dicitur Israel, hoc est, dominatrix seu uictrix
Dei: non quidem suis uiribus, sed eius qui dona-
tus est ipsi, Iesu Christi Domini nostri. Pri-
mum enim, Ecclesia externis persecutionib. tam
grauiter concuti solet, ut uideatur à Deo ipso
affligi. Persequuntur enim ecclesiam, non abiecti
tantum homines, sed maxime omnium monar-
chæ huius seculi, quos Deus ipse in tantam maie-
statem extulit, & quorum regna sunt ordinatio-
nes Dei. Quare cum hi persequuntur ecclesiam,
uidentur non homines, sed Deus cum ecclesia pu-
gnare. Ecclesia autem in his omnibus persecu-
tionibus & aduersis euadit, superat & uincit.
Non ergo absurde dicitur superare & uincere
Deum. An non uidebatur Deus aduersus eccle-
siam stare cum Pharaone, qui accepto diuinitus
potentissimo regno, grassabatur tyrannide sua
in Israellem? Sed Israel uere erat Israel, hoc est,
uictor Dei, quia in hac persecutione non tantum
seruabatur, uerum etiam augebatur. Nabucho-
donosori datum erat diuinitus summum in ter-
ris imperium. Cum igitur uastaret metropolim
ecclesie, & alios quidem trucidaret, alios in or-
bem dispergeret, alios in perpetuam seruitutem
abduceret, an non uidebatur Deus cum ecclesia
pugnare? Sed quia ecclesia euasit incolumis, &
superauit

xod. i. 5. 6

3 REG 25

superavit has ærumnas, rectè uocatur Israel, hoc est, dominatrix seu uictrix Dei. Nero sæuebat gladio suo in Apostolos et auditores eorum, qui erant ecclesia Dei. Et quia Nero summum erat caput eius regni, quod erat diuina ordinatio, uidebatur Deus ipse, non homo quispiam tyrannus in ecclesiam sæuire. Sed his aduersis ecclesia non modò non deletur, uerumetiam mirum in modum in uniuerso orbe crescit. Hoc certè est Deum uincere, et uerè Israelem esse. Sic et Paulus ait, 2. Corinth. 4. In omnibus premi-

mur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at non deserimur: deijcitur, at non perimus. Nam quòd pij deijciuntur, non est nisi à Deo. Vestri etiam pili capitis, inquit, omnes numerati sunt. Quòd autem non pereunt, etsi et hoc ipsum uirtutis Dei est, tamen quia aduersa immittuntur ordinatione Dei, rectè dicuntur pij Deum superare, cum aduersa consilio Dei immissa superant. Deinde ecclesia affligitur non tantum corporali-

bus, sed etiam spiritualibus aduersis in hac terra. Alij homines securè ambulant, et contemnunt iudicium Dei. Ecclesia autem intelligit magnitudinem peccati, uidet iram Dei aduersus peccatū, sentit grauissimos horrores mortis et inferni. Quibus rebus ita afficitur, ut tantum non existi-

i met

2. Cor. 4.

Math. 10.

Spiritual
Ecclæ Affli
mes.

met sibi pereundum esse. Non enim nescit, quod hoc sit iudicium diuinæ legis, quæ est immota & perpetua Dei sententia. Et tamen hanc Dei sententiam uincit per fidem, quæ est in Iesum Christum. Quid ergo aliud diceremus, quàm quod ecclesia haud immeritò uocetur Israel, hoc est, uirginitrix Dei? Incumbamus igitur in hoc studium, ut per fidem in Christum fiamus membra ecclesiæ, quo etiam uictores Dei, seu diuini iudicij, in aduersis tam corporalibus, quàm spiritualibus efficiamur. Speret, inquit, Israel in Domino. Sed quomodo possumus sperare, aut unde concipiemus spem, ne pudeamus? Habemus aduersarios tam corporales quàm spirituales, eos que longè omnium potentissimos. Et uidetur Dominus non à nostra, sed ab aduersariorum parte stare. Persequitur nos mundus totis uiribus suis. Et Dominus uidetur scuitiæ eorum fauere. Videmus peccata nostra, tam ea quæ carni inhaerent, quàm illa quæ externis quoque factis designauimus, & re ipsa sentimus iram Domini aduersum nos. Quomodo ergo sperabimus in Domino? Huic obiectioni respondent ea quæ sequuntur. Quia apud Dominum, inquit, misericordia, & copiosa apud eum redemptio. At enim nihil adhuc (dices) mitius habeo, etiamsi multa mihi prædicantur de misericordia & redem-
 ptione

obiectio

Resp:

Quia apud Dominum, inquit, misericordia, & copiosa apud eum redemptio. At enim nihil adhuc (dices) mitius habeo, etiamsi multa mihi prædicantur de misericordia & redem-
 ptione

ptione Domini. Quomodo enim collocabo
 spem in misericordia & redemptione eius, cum
 mihi ira & indignatio eius manifestè sit ob oculos
 posita? Et audio ex lege Dominum quidem
 esse misericordem his, qui custodiunt præcepta
 eius. Ego uerò ne possum quidem præcepta eius
 tam exactè custodire, quàm exiguntur, tantum
 abest ut unquam ea custodierim. Quò igitur ad
 concipiendam certam & firmam spem de mise-
 ricordia & beneficentia Domini me uertam?
 Primum, uerte te ad uerbum Domini, quod Mo-
 si reuelatum est in monte Exod. 34. & repeti-
 tum est Psalm. 102. Cum enim Moses cuperet ui-
 dere Deum, facie sua, hoc est, filium Dei, in sua
 humana figura, audiuit quidem, nullum esse ho-
 minem tunc uiuentem, qui ætate sua possit per-
 tingere usq; ad id tempus, quo filius Dei in car-
 ne uidendus esset: interea autem recitat ei Deus
 epitheta sua, ex quibus ipse & uniuersa ecclesia
 intelligat, quid spei de Deo et clementia eius con-
 cipere debeant. Hæc autem sunt epitheta Dei, quæ
 illic à Deo ipso cõmemorantur: Dominus, Deus,
 misericors, clemens seu beneficus, longanimis,
 immensa bonitatis, uerax, custodiens misericor-
 diam in millia, condonans iniquitatem, scelera
 atq; peccata: qui parcit, credentibus uidelicet:
 & non parcit, uidelicet incredulis. Ex his epithe-

tis diuinitus reuelatis intelligimus, quod in nostro Psalmo dicitur, apud Dominum esse misericordiam, & copiosam apud eum redemptionem. Quare cum tentamur dubitatione de gratuita clementia & misericordia Dei, confirmandus est animus ex hoc uerbo Dei, ut certam & firmam spem concipiamus. Deinde uerte te ad opera, ad miracula, quibus Deus misericordiam & beneficentiam suam testatus est. Extant miracula tum priuatim, tum publice edita, in signa diuinæ misericordiæ atq; clementiæ monumenta. Cum diluuium uniuersam terram & omnes homines perderet, seruauit Deus Noe octauum admirabiliter. In egressu ex Aegypto cum Aegyptiorum primogenita perirent, Israelitæ omnes manent, diuina clementia, salui. Et mox Aegyptij obruuntur aquis maris rubri. Sed Deus fauens Israelitis, educit eos ex aquis incolumes. Deinde pascit eos admirando modo in deserto, & ostendit eis multa alia clementiæ suæ argumenta quadraginta annis in deserto. Quid dicam de ijs miraculis, quibus Deus conseruatione Israelitarum in terra sua Canaan publice beneficentiam suam comprobauit? Vide mihi etiam priuatorum hominum. Abrahæ (exempli gratia) Iacob, Mosi, Dauidis, & aliorum, aut conseruationes in extremis periculis, aut liberationes,

signa di
uina miseri
cordiæ
gen. 7

Exod. 14

Exod. 16.

nes, quæ etsi priuatim uni & alteri contigerūt,
 tamen sunt publica diuinæ clementiæ testimo-
 nia. Hæc si quis probè intueatur, quid impedi-
 ret, quo minus certam & firmam spem de cle-
 mentia Dei erga se concipere posset? Postre-
 mò, ut de clementia ac misericordia Dei nullus
 dubitationi locus relinquatur, & spe nostra de
 gratuita beneficiæ Dei nec frustremur, nec pu-
 defiamus, intuendum est in eam dilectionē, qua
Deus pater misit & donauit nobis unigenitum
filium suum Dominū nostrum Iesum Christum,
 & dedit eum propitiationem pro peccatis no-
 stris. Spes, inquit Paulus, non pudefacit. Quam
 ob causam? Sequitur, Quia dilectio Dei (uide-
 licet qua Deus nos diligit) effusa est in cordibus
 nostris per spiritum sanctum. Et mox, Gloria-
 mur in Deo per Dominum nostrum Iesum Chri-
 stum, per quem nunc reconciliationem assecuti
 sumus. Duo proponit Paulus, quæ cum sint cer-
 tissima, faciunt ut & spes sit certissima, nec pos-
 sit sperantem pudefacere. Alterum est, dilectio,
 qua Deus nos complectitur. Nihil hac est cer-
 tius, quippe quam Deus testatus est traditione
 unigeniti filij sui pro nobis adhuc impijs, in mor-
 tem. Commendat, inquit Paulus, dilectionē suam
 erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus pecca-
 tores, Christus pro nobis mortuus est. Et Chri-

Rom. 5

dilectio

Rom. 5

10h. 3

1. 10h. 4.

reconciliatio

Rom. 5.

stus ipse: Sic Deus, inquit, dilexit mundū, ut unigenitū filiū suū daret, ut omnis qui credit in eū, nō pereat, sed habeat eternā uitā. Et Ioannes, In hoc, inquit, apparuit caritas Dei in nobis, quōd filiū suū unigenitū misit Deus in mūdum, ut uiuamus per eū. Cū igitur nihil certius sit, q̄ quōd Deus prosequatur nos propter filiū suū summa dilectione, fieri nō potest, ut spes de misericordia et beneficentia Dei cōcepta sperantē fallat. Alterū est recōciliatio, quæ facta est per Christū. Est & hac nihil certius. Nā si tāta fuit potētia Adæ, primi hominis, ut propagarit in oēs posteros suos peccatū, mortē & cōdemnationē: cur nō potentior esset Christus, filius Dei, secundus Adam, ut propagaret in oēs posteros suos, qui sunt credentes in ipsum, reconciliationē, iustitiā, uitā, et perpetuā salutē? Si per unius delictū, inquit Paulus, mors regnauit per unū, multo magis ij qui exuberantiam gratiæ et doni iustitiæ accipiunt, per uitā regnabūt autore uno Iesu Christo. Quod cū ita se habeat, ut & dilectio Dei, & reconciliatio Christi sint certissima, nihil aliud reliquum est, quàm quod & spes, quæ de clementia & bonitate Dei propter Christum concipitur, sit certissima, nec possit sperantem pudefacere. Recte igitur iubet Psalmus Israelem sperare in Domino, quōd apud Dominum sit misericordia, seu beneficentia.

inefficentia. Nec est contentus mentione miseri-
 cordiæ, sed additur etiam de redemptione. Co-
 piofa, inquiens, est apud eum redemptio. Non
 simpliciter dicit redemptionem esse apud Do-
 minum, sed dicit redemptionem copiosam seu
 multam. Ac primùm quidem copiosa & multa
 est apud Dominum redemptio, propterea
 quòd soleat non semel tantum ac iterum, sed sæ-
 pe ac multum seruare in periculis, & liberare
 sperantes in ipsum. In Iob dicitur: In sex tribu-
 lationibus liberabit te, & in septima non tanget
 te malum. Testantur idem exempla piorum. Mo-
 ses non tantum seruatus est in infantia, cum in
 flumen exponeretur: uerumetiam seruatus est
 postea, cum Pharaon insidiaretur uitæ eius, cum
 à suo ipsius populo lapidibus obruendus esset,
 & in omnibus alijs periculis. Dauid non tantum
 seruatus est à Domino, cum in pastoricio mune-
 re leo & ursus in ipsum grassarentur, & po-
 stea Goliath in eum inermem gladio & hasta se-
 uiret: sed etiam cum Saul peteret eum lancea, &
 concluderetur exercitu eius, & eijceretur à filio
 suo è regno, & in alijs aduersis. Et Paulus ait:
 Propter te morti tradimur tota die, habemur
 sicut oues destinatæ maculationi. Verùm in his
 omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Et
 iterùm: Confidamus in Deo, qui ad uitam susci-

i 4 tat mor=

106. 5.
Exod. 1. 17. 2

1 Reg. 17.

Rom. 8.

2 Cor. 1.

et mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, et
 eripit, in quo spem fixam habemus, quod et iam
 posthac erepturus sit. Quare cum Deo solenne
 sit, sperantes in ipsum seruare, non semel aut ite-
 rum, sed semper ac perpetuo, uere dicitur copio-
 sam et multam esse apud eum redemptionem.
 Deinde copiosa redemptio etiam eo respicere
 potest, quod Paulus ad Ephesios scribens, Ei, in-
 quit, qui potest cumulate facere ultra omnia,
 que petimus aut cogitamus, iuxta uim agentem
 in nobis sit gloria. Deus enim ita redimere solet
 sperantes in ipsam, ut quo diutius differt libera-
 tionem, eo admirabilius et copiosius beneficium
 conferat, ac multo plura largiatur, quam quis-
 quam non dico uerbis petere, sed tantum animo
 cogitare ausus fuisset. Itaque redemptionis dila-
 tio, non est beneficii negatio, sed potius foenera-
 tio, et cumulatio. Quis hanc non diceret copio-
 sam redemptionem? sed amabo te, quid profue-
 rit tibi, saepe ac multum in hoc seculo, et corpora-
 libus periculis redimi, si adhuc peccatis onera-
 tus, necesse habes mortem obire, et propter
 peccata perpetuo condemnari? Quid iuuat, in
 aduersis ambos pedes incolumes reportare, ne
 ledantur, sed paulo post cum ambobus conijci in
 gehennam ignis? Addit ergo Dauid, et exponit,
 quid proprie per copiosam redemptionem in-
 telligat.

dilatio est
 sui foenera-
 tio.

telligat. Copiosa, inquit, est apud eum redemptio, quia redimit Israellem ex omnibus iniquitatibus eius. Initiò obserua, quòd hic sit manifesta concio de filio Dei, et quòd filius Dei, Iesus Christus, sit uerus ab aeterno Deus. Tribuit enim Psalmus uero Domino Deo nostro, quem ab initio inuocauit, redemptionem ex iniquitatibus. Manifestum autem est, quòd filius Dei Iesus Christus susceperit propter hanc causam, nõ carnem tantum, sed etiam crucem & mortem, ut homines ab iniquitatibus suis redimeret. Dedit, inquit Paulus ad Titum cap. 2. & Ephe. 1. semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate. Et aliàs: Deus reddidit nos caros per dilectum, per quem habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Quare Psalmus concionatur in hoc uersiculo perspicuè de Christo filio Dei. & quia loquitur non nisi de uero & aeterno Deo, testificatur etiam, quòd filius Dei sit uerus & aeternus Deus patri suo consubstantialis. Deinde, docet hic ultimus uersiculus, quæ sit uerè copiosa redemptio. Non est copiosa redemptio, si quis pauper redimitur à paupertate, & donatur multa pecunia: aut si quis captiuus corpore, redimitur è carcere, & restituitur suæ libertati: aut si quis ægrotus, redimitur à morbo, & restituitur sanitati. Israelitæ nondum

Tm. 2
Eph. 1.

Copiosa
redemptio q

i s erant

Act: 12

erāt copiose redēpti, cū redimerētur à tyrānide Pharaonis, et à Babylonijs. Petrus nō erat copiose redemptus, cū educeretur ab angelo è carceribus. Sūt et multi alij nō pij tātū, sed et impij, qui admirabiliter uel ex morbis, uel è carceribus, uel ex alijs afflictionibus redimūtur, sed nōdū sunt copiose redēpti. Reliqua enim adhuc est mors omnium afflictionū maxima. Reliquus adhuc est infernus, omnium carcerū teterrimus. Quæ ergo est copiosa illa redēptio? Redimit, inquit, Israelē ex omnib. iniquitatib. eius. Hæc est uerè copiosa redemptio, redimi uidelicet ab omnib. suis iniquitatib. Nā qui redemptus est ab iniquitatibus suis, is etiā redēptus est ab omni stipēdio iniquitatū: hoc est, ab omnibus afflictionib. à morte & ab inferno. Hæc enim sunt iniquitatū stipendia. Etsi enim hi qui acceperūt redēptionē ab iniquitatib. suis per fidē in Iesū Christū filiū Dei, adhuc affligūtur in hoc seculo aduersis, & moriuntur, ut alij homines, ac terrentur etiā horrorib. inferni: tamē accepta redēptione ab iniquitatib. nec afflictiones, nec mors, nec infernus possunt eos perdere, sed necesse habent ipsis adiumenta esse in bonū. Etenim quēadmodū si circūfodias herbā zizaniorū, et succidas radicē eius, etsi relinquis herbā inuiolatā et uirentē, tamē succisa radice, herba diu uirere nō potest: ita succisa, hoc est, remissa iniquitate, quæ est radix mortis et inferni, etsi hæc ad-

huc in homine florere, aut vires suas exercere videntur, tamē nullū possunt amplius incōmodū afferre. Aculeus mortis, inquit Paulus, est peccatū. Sicut ergo apes, adēpta aculeo, minitari quidē potest bombo suo punitionē, pungere autem nō potest: ita condonato peccato, quod est aculeus mortis, potest quidē mors adhuc terrere, nocere autē non potest. Quare à peccatis suis redimi, sola est uerē copiosa redēptio. Vnde et alius Psalmus tribuit huic redemptioni nomen beatitudinis, Beati, inquit, quorū remissa sunt peccata, et quorū tecta sunt peccata. Beatus uir, cui nō imputauit Dominus peccatū. Econtrā autē, ubi nō est redēptio à peccatis, ibi nulla est foelicitas, etiāsi nō tātū redimaris in hoc seculo ab omnib. corporalib. aduersis, sed etiā fruaris omnibus huius seculi bonis & prosperis. Sume tibi, quātum uolueris uel potētiae, et dominatiōis, uel sanitatis uel pecuniæ, uel gloriæ, uel uoluptatis: nisi consecutus fueris redemptionē ob omnib. iniquitatib. tuis, moriendū tibi uel tandē est, et in morte in æternū pereūdū. Quid ergo profuerint tibi tot et tanta huius seculi bona? Quare in hoc precipuē studiū nobis incumbēdū est, ut cōsequamur redēptionē ab omnib. iniquitatib. nostris, quæ ut sola est uerē copiosa, ita affert secū oēm uerā et æternā foelicitatē. Sed nec hoc prættereundū est oscitāter,

Ps. 31.

in dicit

ter, quòd nō simpliciter dicat, Ab iniquitatibus: sed, Ab omnib. iniquitatibus. Cum enim Deus recipit hominem in gratiam, & adoptat eum in filium, non condonat tantum unum aut alterum peccatum, sed condonat omnia peccata. Non retinet sibi aliquot casus, quos uocant Reseruatos, quemadmodum Romani Pontifices facere solent: sed remittit simul omnes humanos casus. Neq; enim Christus filius Dei passus est, pro uno tantum peccatorum genere, sed pro omnibus peccatis siue internis siue externis, siue originali siue actuali, siue magnis siue paruis, siue mortalibus, ut uocant, siue uenialibus, siue occultis siue manifestis. Reuertetur, inquit Propheta, & miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Nam quod dicitur peccatum in spiritum sanctum, nec in hoc, nec in uenturo seculo remitti: non est intelligendum, quòd conuersis ad Christum, & credentibus in Christum aliquod peccatum non remittatur: sed quod peccatum in spiritum sanctum sit natura sua tam manifestum peccatum, ut nec coram hominibus in hoc seculo, nec coram Deo in altero seculo ullam habeat excusationem. Aliud peccatum quod uocatur, peccatum in filium hominis, habet suam quandam coram hominibus remissionem,

nem,

nem, seu excusationem. Hoc autem peccatum, quod uocatur in spiritum sanctum, tam perspicuum est, ut non sit remissibile, hoc est, excusabile, nec coram Deo, nec coram hominibus. Interea tamen, si quis hoc peccatum agnoscat, & conuertatur ad Christum, fit & ipsum remissibile propter Christum, propterea quod mors Christi sit perfecta expiatio pro omnibus peccatis eorum qui ad ipsum conuertuntur, quemadmodum aliàs copiose demonstrauius. At enim *ματαιολόγοι*, qui his tēporibus piā doctrinā corrumpunt, fatentur & ipsi, quod solus filius Dei redimat nos, sicut Psalmus dicit, ab omnibus iniquitatibus nostris, & quod sola mors filij Dei sit sufficiens expiatio pro peccatis nostris. ac planè idem, quemadmodum Epiphanius de hæreticis scribit, nobiscum loquuntur, nō tamen idem sentiunt. Quod enim piè è sacra scriptura dicunt, hoc impiè corruptelis & prauis suis interpretationibus peruertūt. Nam alij dicunt, solam quidem mortem filij Dei esse redemptionem ab omnibus iniquitatibus nostris, hanc autem redemptionem applicari nobis sacrificio Missæ. Alij dicunt, nos iustificari quidem morte & resurrectione Christi per solam gratiam. intelligunt autem per gratiam non ipsum Dei fauorem, quo Deus nos propter Christum complectitur: sed

tehis. Bret.
17. 281.

ruptela ut
doctrina

sed tres illas uirtutes, quas uocant Theologicas, fidem, spem, et charitatem. De his uirtutibus ita docent, quod Deus ex gratuita misericordia largiatur eas homini: et postquam homo eas acceperit, tunc reputetur propter ipsas coram Deo iustus. Ac de applicatione quidem, quam somniant fieri per Missam, supra satis dictum est. Nunc pauca dicemus de hac altera pie doctrinae corruptela. Nam uerissimum quidem est, quod hae tres uirtutes, fides, spes, et charitas, sint dona Dei gratuita: falsissimum autem est, quod propter has iustificemur coram Deo. Etenim negari non potest, quin hae tres uirtutes sint opera lege Dei praecipita. Diliges, inquit lex, Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima. Hec lex exigit, ut Deo credamus, seu fidamus, ut in Deo spem nostram collocemus, ut Deum amemus. Hae sunt tres ille uirtutes, fides, spes, et caritas. Obserua autem mihi, quid de operibus, seu uirtutibus legis dicat Paulus, Non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Quae est igitur illa impudentia, quod asseueres hominem, propter haec opera coram Deo iustificari? Et Paulus alias, cum ad Romanos scribit, opponit inter se gratiam, et opera seu merita operum. Quod si per gratiam, inquit, iam non ex operibus. Quandoquidem gratia, iam non est gratia, si uidelicet

delictet asseueraueris hominem ex operibus seu
 uirtutibus suis iustificari. Quid, quod hæ tres uir-
 tutes, etsi donantur homini diuinitus, tamen in
 hac uita nunquam sunt in homine perfectæ. Nul-
 lus enim hominū tantum credit, tantum sperat,
 tantum amat, quantū lex Dei ab eo exigit. Tan-
 ta autem est seueritas legis diuinæ, ut omnes eos
 maledicat, ac diris deuon^{at}, quotquot non tan-
 tum præstant perfectè, quantum ipsa exigit.
 Maledictus, inquit, omnis qui non permanserit
 in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut fa-
 ciat ea. Quare etsi homo habeat tres istas uirtu-
 tes, tamen si Deus iuxta dignitatem earum ius-
 dicauerit, maledicit potius, & condemnat homi-
 nem, quàm ut reputet eum propter ipsas iustitias.
 Quid plura? Beatitudo seu iustificatio est ex nõ
 imputatione peccatorum. Beati, inquit, quorum
 remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt
 peccata. Beatus uir, cui non imputat Dominus
 peccatum. Si ergo iustificatio coram Deo est ex
 non imputatione peccatorum, certè non potest
 esse ex respectu seu reputatione uirtutum. Nihil
 igitur uanius est, quàm quod isti dicunt, nos per
 gratiam, hoc est, ut ipsi exponunt, per uirtutes
 illas gratis donatas coram Deo consequi redem-
 ptionem ab iniquitatibus & iustificationem. Di-
 ces autem: Si hæ uirtutes, quas isti gratiam uo-
 cant,

cant, non iustificant. quis ergo erit usus earum?
 1. Cor. 13. cur tantopere nobis à Paulo commendantur?
 Non certè nullus, sed insignis est earum usus,
 etiamsi non habeant uirtutem iustificandi nos
 coram Deo, & redimendi nos ab iniquitati-
 bus nostris. An non lignum, bona Dei cre-
 atura est? Quòd si quis dicat lignum, non in
 hunc usum nobis datum, ut eo uescamur, an pro-
 pterea affirmat lignum, prorsus esse inutile? Ni-
 hil minus. Non est utile ad uescendum, utile au-
 tem est ad domos ædificandas, aut ad ignem fo-
 uendum. Est & uinum, bona Dei creatura. Si
 quis ergo dicat uinum non esse utile ad irrigan-
 dos agros, num damnat uinum, & pronunciat
 nullum eius omnino esse usum? Absit. Vinum nõ
 est utile ad irrigandos agros, sed est utile ad se-
 dandam sitim, & ad letificanda, sicut Psalmus
 dicit, corda hominum. Habet enim unaquæuis
 res suum usum, ad quem diuinitus ordinatum
 est. Sic etiam dicendum est de his tribus uirtuti-
 bus. Adimitur eis dignitas iustificandi coram
 Deo, & redimendi homines à peccatis, non au-
 tem adimitur eis omnis usus. Primum enim, fi-
 des, etsi non potest dignitate & merito operis
 sui, quale quidem à nobis perficitur, hominem
 coram Deo iustificare (quis enim credit, quan-
 tum ab eo exigitur, & quantũ deberet?) tamen
 organon

organon est, seu instrumentum, quo accipimus
 & induimus filium Dei Iesum Christum, propter
 quem solum fide acceptum, & indutum, repu-
 tamur coram Deo iusti. Itaque dicimur iustificari,
 seu consequi redemptionem ab iniquitatibus non
 propter fidem, ne iusticia sit ex operibus, quae
 nos facimus: sed uel fide, uel per fidem, uel ex fi-
 de: idque tantum propter Christum filium Dei,
 fide nobis, ut ita dicam, incorporatum & ap-
 propriatum. Quod si quidam dicunt, fidem esse
 nostram iustitiam, hi etsi suo sensu non pessime
 loquuntur, tamen improprie loquuntur, quod
 fides non sit per se nostra iustitia, sed tantum di-
 catur iustitia propter Christum, quem fide in-
 duimus. Vnde & Paulus cum de hac re uerba fa-
 cit, ualde circum specte loquitur: nec unquam di-
cit nos iustificari propter fidem, sed tantum fide,
uel ex fide, uel per fide. Iustitia, inquit, Dei per
 fide Iesu Christi in omnes. Et mox: Iustificantur
 gratis per illius gratiam, per redemptionem,
 quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus re-
 conciliatorem, per fidem. Et iterum: Arbitra-
 mur fide iustificari hominem absque operibus le-
 gis. Et rursus: Ei qui non operatur, sed credit
 in eum, qui iustificat impium, imputatur fides
 sua ad iustitiam. Et paulo ante: Unus Deus, qui
 iustificat circumcisionem, hoc est Iudeos, ex fi-
 de: &

k

de: &



de: & præputium, hoc est, gentes per fidem. Et
 aliàs: Scimus non iustificari hominem ex operi-
 bus legis, sed per fidem Iesu Christi. Quare cum
 audimus, fidem esse nostram iustitiam: non intel-
 ligendum est, quòd opus ipsum fidei, in nobis,
 tanti sit meriti, ut iustificemur propter ipsum
 coram Deo: sed quod fides sit organon, quo in-
 duimus Iesum Christum filium Dei, propter
 quem solū Deus est nobis propitius, & adoptat
 nos in filios ac hæredes suos, ut iustificati ser-
 uemur. Deinde spes, etsi nec ipsa tanti est meriti
 in homine, ut iustificet coram Deo: tamen habet
 alium usum, eumq; nobis necessarium. Conser-
 uat enim obedienti expectatione, quod fide ac-
 cepimus. Nam postquam credimus in Christum,
 multa contingunt nobis aduersa, quæ totis uiri-
 bus suis eò tendunt, ut excutiant nobis fidem &
 Christum: hic nobis necessaria est spes, ut in
 Christo per fidem firmi consistamus. Si quod nō
 uidemus, inquit Paulus, speramus, id per patien-
 tiam expectamus. Quare spes suum habet usum,
 etiā si non iustificet opere suo hominē corā Deo.
Postremò charitas, maxima quidē uirtutū à Pau-
 lo dicitur, nō tamē dicitur hominem coram Deo
 iustificare, sed habet longē alios usus. Maxima
 enim uirtus dicitur, quòd cum aliæ duæ uirtutes,
 fides & spes, cessabunt & abolebuntur, ubi ue-
 nerit

Spes

charitas

merit quod perfectum est, charitas nunquam exa-
 cidat. Maxima item dicitur, quòd cum aliæ duæ
 uirtutes abdant sese in latebras humani cordis,
 charitas reddat sese in externis operibus conspi-
 cuam, & sit uirtus, per quam fides sese exercet,
 & ut Paulus ait, efficax est. Collocemus igitur
 has uirtutes in suo quanq; ordine, & usu: ac fu-
 giamus impias piæ doctrinæ corruptelas, ut ue-
 re per fidem propter Christum ab omnibus ini-
 quitatibus redimamur, quæ sola est copiosa, ut
 hic Psalmus docet, redemptio. Percurri hunc
 Psalmum qualicunq; explicatione. Et quia con-
 tinet præcipuam doctrinam perpetuæ nostræ
 salutis, de uera pœnitentia, & de uera inuocatio-
 ne Dei ex profundis malorū: nostri officij erit,
 non ut reponamus eum inter ea *νεμῶνια*, quæ
 uix semel toto anno in cōspectum nostrum pro-
 ducere solemus: sed ut eum singulis diebus, sin-
 gulis horis, imò singulis etiam horarum momen-
 tis, in prospectu habeamus. Versamur enim in
 medio, non hominum tantum, sed etiam diabo-
 lorum: & nunquam non obijcitur extremis
 periculis, ac demergimur in profundissimam
 malorum foveam. Etsi enim non semper reipsa
 præsens periculum externa experientia senti-
 mus: tamen quia diabolus semper circuit sicut
 leo rugiens, ut quærat, quem deuoret: semper
 k 2 nobis

Ephe. 5.

nobis standum est oratione nostra in excubijs,
 ne inter oscitantes opprimamur. Paulus ait,
 Impleamini spiritu, loquentes uobismetipsis per
 psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales,
 canentes & psallentes in cordibus uestris. Inter
 psalmos autem, qui in sacris literis continentur,
 hic noster ex ijs unus est, qui dignitate & utili-
 tate sua principem locū obtinent. Quare si quis
 cupit impleri spiritu cognoscendæ iniquitatis
 suæ, spiritu confirmandæ fidei, & spei suæ de
 clementia Dei, & de certissima redemptione ab
 omnibus iniquitatibus suis, spiritu consolatio-
 nis in omnibus aduersis suis: (quis autem non
 singulis momentis, his donis spiritus indiget?)
 is conferat sese ad hunc nostrum psalmum, nec
 defatigetur oratione. Sic enim reipsa per gra-
 tiam Christi filij Dei sentiet, quòd non tantum
 mala eius mitigentur, uerumetiam con-
 sequatur à Deo longè plura be-
 neficia, quàm uel sperasset,
 uel etiam cogi-
 tasset.

F I N I S.

ERRATA.

- Pagina 60. uersu 8. desperauerimus
63. 3. Aliud.
75. 22. aperuit
76. 24. iudicium
90. 11. statuamus. & 23. continentur
103. 7. pœnitentia
117. 16. laqueos
139. 4. apis, adempto
143. 8. deuouet
144. 19. ordinata.

k 3 Index

I N D E X.

<i>Adæ peccatum in omnem posteritatem pro-</i> <i>pagatum</i>	32
<i>Aduersa cur Deus immittat suis</i>	98
<i>Aduersorū liberatio quatenus petēda à Deo.</i>	98
<i>Affectus caritatis & fidei non idem</i>	16
<i>Afflictiones, mortis pedissequæ</i>	64
<i>Afflictionum causa</i>	85
<i>Afflictionum grauitas quibus metaphoris in</i> <i>scriptura explicetur</i>	92
<i>Applicationis nomen pro meriti nomine ab ad-</i> <i>uersarijs usurpatum</i>	117
<i>Auris admirabile organum</i>	24

C

<i>Charitas, uirtutum maxima, non tamen ho-</i> <i>minem iustificans</i>	146
<i>Charitatis & fidei non idem affectus</i>	16
<i>Casus reseruati</i>	140
<i>Cathedra prauitatis</i>	61. 68
<i>Christus corporaliter, non spiritualiter desertus</i> <i>à patre</i>	44
<i>Christus uera propitiatio pro peccatis</i>	109
<i>Christus uerum mysterium</i>	114
<i>Christus uerus ab æterno Deus</i>	137
<i>Christi beneficia non nisi fide accipi</i>	116
<i>Christi meritum applicare, & fructū eius per-</i> <i>cipere, non idem</i>	110. 112
	<i>Christi</i>

I N D E X.

Christi meritum non applicari ecclesiae sacrificio missae, sed praedicatione Euangelij	
110. 115	
Coena Domini non omnibus indiscriminatim exhibenda	114
Coena Dominica quatenus mysterium	114
Coenae Dominicae in missam Papisticam deprauatio	66. inde
Coenae Dominicae uerus usus	66. 113
Cogitationes hominum quatenus cognoscat Deus, quod sint uanae	28. 29
Corde recti & mundi uere qui	55
Cultus Dei deprauatio, in excelsis	62

D

Dauid quanto maior angelis	78. 79
Dauidis doctrina coelestis	80
Dauidis fortuna 57. 59. afflictiones 83. 84	
Dauidis Psalmi non sine singulari prouidentia tot annis haecenus conseruati	79. 80
Dauidis Psalmos lecturo quid cogitandum	78
79	
Dauidem mille ante Christum annis uixisse	80
Derelictio corporalis & spiritualis	43
Deus cur ultor dicatur 12. & iudex terrae. eod.	
Deus Iacob	23
Deus solus inuocandus	96
k 4	Dei



I N D E X.

<i>Dei auditus</i>	24.25. & uisus 26
<i>Dei epitheta</i>	11.70.131
<i>Dei filios & domesticos per fidem fieri</i>	48
<i>Dei in nos dilectio</i>	133
<i>Dei iudicium in impios, duplex</i>	51
<i>Dei statuta quomodo humanis traditionibus deprauentur</i>	62. 63. 64
<i>Deum deserere populum suum, quomodo intel= legendum</i>	43
<i>Deum in electione hominum non esse respecto= rem personarum aut meritorum</i>	71
<i>Deum timere quid</i>	119
<i>Doctoralis sedes, cathedra prauitatis</i>	61

E

<i>Ecclesia Dei semper à satana ministris uexa= ta</i>	6.8
<i>Ecclesia, hæreditas Domini</i>	42
<i>Ecclesiæ afflictiones quàm diuturnæ</i>	38
<i>Ecclesiæ hostes perpetui</i>	5
<i>Ecclesiæ in aduersis scelicitas, contra mundi iu= dicium</i>	31.56
<i>Ecclesiæ membro uero quid faciendum</i>	88
<i>Ecclesiæ miseria in hoc seculo 33. paterni ani= mi in Deo signum</i>	34.35
<i>Ecclesiæ parata non tantum mitigatio in malis, sed & liberatio è malis</i>	37.56
	Ecclesiæ

I N D E X.

<i>Ecclesiae qualis in hoc mundo fors</i>	32.58
<i>Ecclesiam rectè Israel dici</i>	128.129.130
<i>Euangelij in consolandis afflictionibus usus ac uis</i>	36
<i>Euangelij prædicatio cuiusmodi ministerium.</i>	
111.112.115	
<i>Expectare Dominum quid</i>	42

F

<i>Fides ex auditu uerbi Dei</i>	112
<i>Fides quatenus nostra iustitia</i>	145
<i>Fidei alius affectus quàm charitatis</i>	16
<i>Fidei fructus</i>	49
<i>Fidei organum quale</i>	144.145.146
<i>Fide, ex fide, uel per fidem nos iustificari, non propter fidem</i>	145
<i>Fingere laborem super præceptum quid</i>	61
<i>Fouea.</i>	38

G

<i>per Gratiam nos iustificari, perperam à qui- busdam intelligi</i>	142.143
--	---------

H

<i>Hispanorum grassatio in Ecclesiis Germania.</i>	
39.40	
<i>Hora Canonica. 64. contumelia nominis Dei</i>	65

k 5 HUMAN



I N D E X.

Humanum genus uniuersum una massa, peccato fermentata	71
Iacob cognominatus Israel	127
Iacobi cognomen cur Deo attributum	23
Impij coram Deo uerè mortui	38
Impiorum duplex iudicium	51. 75. 76
Impiorum successus 18. 39. 69. eorundem crudelitas in pios. 20. securitas de ira Dei	22
Impios saginari ad occisionem	76
Infernus fouea	38
Inuocari super alios nomen suum, quid	92. 93
Ire carnalis & spiritualis discrimen	14. 15
Israel cur hereditas Domini	42
Israel quid. 127. & cur ita dictus populus Dei	128
Iudicis iusti officium	50
Iudicium	50
Iudicium Dei in impios, duplex	52
Iudicium Dei nouissimū quale futurum	52. 53
de Iuliano apostata elegans scomma	40
Iustitia	50
Iustitia quomodo dicatur conuertere iudicium	50
L	
Lectiois scripturae sacrae in ecclesia usus	64
65	
Ligni usus	144
	Litania

I N D E X.

<i>Litaniae sanctorum impie</i>	95.96
<i>Lex Dei, pro doctrina uerbi</i>	31
<i>Legis diuinae seueritas</i>	102
<i>Legis iudicium cur Deus natura insculpserit in omnes homines</i>	27
<i>Legis opus quale</i>	27

M

<i>Manuum lauatio</i>	63
<i>Miracula, misericordiae Dei monumenta</i>	132
<i>Missae Papisticae nihil magis impium in Eccle- sia</i>	68
<i>Missae Papisticae abusus & impietas</i>	65. 66.
67 inde	
<i>Mortuis omnia tempora unum momentum</i>	53
<i>Mundicies hypocritica uerae praelata</i>	63

O

<i>Obedientiam cuiusmodi Deus à nobis requirat in omnibus rebus</i>	97
<i>Oculus admirabile organum</i>	25.26
<i>de Oratione praeceptum quomodo humanis tra- ditionibus deprauatum</i>	64

P

<i>Pauli locus</i>	47
<i>Pauli tentatio, & inde liberatio</i>	45
<i>Propter exemplum toti ecclesiae</i>	46
<i>Peccatum in spiritum sanctum quomodo non remittatur</i>	140.141
	Peccati

I N D E X.

Peccati agnitionem solam non sufficere ad salutem consequendam	106
Peccati fructus	102
Peccatorum remissionem non nisi fide in Christum percipi	112
Piorum afflictio, certus ad foelicitatem gradus	35.36
Piorum afflictionibus Deū adesse dupliciter	77
Piorum omnium salutis ratio uera cuiusmodi 71.72. inde	
Piorum querela, se à Deo desertos esse, cuiusmodi	45
Pijs quatenus peccata sua in afflictionibus agnoscenda, aut contrà	104. 105
Pœnitentia quomodo agenda	101. 120
Pœnitentiæ initium	106
Pœnitentiæ ueræ & falsæ discrimen	121. 122
Precum deprauatio in ecclesia	64
Precum in Ecclesia usus	64
Profundum, de profundis clamare, quid. 83. 91. 92	
Psalendi in Ecclesia usus	64
Psalmi graduū, ascensionū, conclusionū &c. 82	
R	
Recti corde qui	54. 55
Redemptio copiosa quæ	138. 139
Redemptio	

I N D E X.

Redemptio quomodo copiosa apud Dominum.

135.136.137

S

Sacrificandi ritus deprauatio 62

Sacrificium Missarum 110

Salutis piorum omnium ratio uera cuiusmodi

71.72. inde

Sancti non inuocandi 95

Sanctorum inuocatio ridiculè asserta 92.93 &

impia 94

Sathan princeps & Deus huius seculi 5. eccle-

sia hostis 32

Sathanae perpetuum aduersus ecclesiam Dei bel-

lum 6.8.21.32

Saulis hypocrisis 6

Spei usus 146

Spiritus contribulatus quomodo sacrificium

Deo 34

Sufficit tibi gratia mea, quomodo ad Paulum

dictum. 46

T

Temporis computatio in altero seculo qualis.

53

Timere Deum quid 119

Traditionum humanarum tres conditiones 68

Traditionibus humanis quomodo deprauetur

Dei cultus 61.62 inde


Victoria



I N D E X.

<i>Victoria natura sua insolens</i>	9
<i>Vindictæ cupiditas Deo grata, aut abominabilis quæ</i>	15
<i>Vindictam de aduersarijs petere à Deo quatenus liceat</i>	14
<i>Vini usus</i>	144
<i>Viri sanguinum</i>	69
<i>Virtutes theologicæ cuiusmodi 142. earum usus</i>	144.

F I N I S.



21



Al 4220


X 2210383

Sb.

V. 17 = 00

M. S.





B.I.G.

Farbkarte #13



X P L I C A T I O
 S A L M O R V M D A V I D I S,
 C I I I I . D e u s u l t i o n u m , & c . &
 X X X . D e p r o f u n d i s , & c . m a
 g n a p i e t a t e , & h u i c s e c u l o a c
 c o m m o d a t i s s i m a t r a
 c t a t i o n e c o n
 s c r i p t a :

IOANNE VVITLINGIO
 Autore.

Oculi Domini super iustos, & aures
 eius in preces eorum.

M. Gyslopfforus (zato me possio)

B A S I L E A E .

*Mathaus. Vrbanus
 Gviltingius*

